

Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

Eleonora Sophia Leske.

MVSEVM LESKEANVM

REGNVM ANIMALE

QVOD

ORDINE SYSTEMATICO

DISPOSVIT ATQVE DESCRIPSIT

D. L. GVSTAVVS KARSTEN, 1768-1810

SOCIET. NAT. CVRIOS. HALENS. SODALIS.

VOL. I.

Cum IX. iconibus pictis.

LIPSIAE,

SVMPTIBVS HAEREDVM I. G. MVLLERI.

1789.

L.C. Cds. Ord. 8-23-63

SMITHSONIAN NATIONAL MUSEUM

199722

QL
71
G3
M32
1788
v.1
c.1
SCNHRB

VITA
NATHANAELIS GODOFREDI LESKII.

Natus eſt NATHANAEL GODOFREDUS LESKE, qui naturalem ſcientiam ac oeconomiam docendo ſcribendoque ſummopere auxit, Muſcaviae, Luſatiae ſuperioris pago, die XXII. menſ. Octobris anni MDCCLII, patre GODOFREDO LESKE, verbi divini primum apud Muſcavienſes, deinde in pago Königswarte, poſtea in vico Nowodwor, non longe a Warſavia ſito, miniſtro longe meritiſſimo, qui vivens adhuc filium, ſenectutis ſuae praeſidium ſolatiumque praematura morte ſibi ereptum luget.

Contigit LESKIO quod paucis, et ad ingenium puerile formandum apprime utile eſt, ut tam in iis, quae ad puerile ingenium excolendum neceſſaria ſunt, quam in ſeverioribus litterarum ſtudiis, quibus iuvenes ad academiarum ſtudia ſolent praeparari, patrem praeceptorem haberet, qui, quod in publicis ſcholis fieri vix potuiſſet, in quibus inſtitutio ſecundum conſuetudinem quandam procedit, cui ingenia accommodentur paene neceſſe eſt, cupiditatem rerum naturalium cognoſcendarum atque indagandarum filii fovit, ſuo conſilio rexit eumque his potiſſimum literarum atque ſcientiarum generibus, quae ad vitam cum laude gerendam et ad altiora ſtudia neceſſaria ſunt, copioſe ac liberaliter inſtituit. Adiit quidem decimo aetatis anno orphanotrophii Halenſis ſcholam publicam; ſed ob adverſam valetudinem, ex diſtortis dorſalibus ſuperioribus et colli inferioribus vertebris natam, quam tenellus puer, nutricis incuria, contraxerat, viroque optimo per univerſam vitam moleſtam admodum, ob pulmones compreſſos ſpiritumque coarctatum, atque ad aliorum morborum, quos poſtea perpeſſus eſt, origines plurimum facientem, anno in ſchola hac publica exacto ad patrem rediit, qui illum, ad ſeveriora ſtudia



copioſe praeparatum, decimo ſeptimo aetatis anno ad ſtudia in academiis ulterius proſequenda dimiſit.

Lipſiam adiit, celeberrimam ſcientiarum bonarumque artium omnium mercaturam, ibique, ne animus ab eo, quod proſequebatur, ſtudio, rerum nempe naturalium, deflecteret, nomen ſuum ſtudiis medicinae dedit. Maxime autem has medicinae partes coluit, quae naturali philoſophiae atque hiſtoriae arctiore conjugio junctae ſunt, has enim ſcientias tantopere amabat, ut medicinam illarum gratia profiteri videretur. Hinc tanto iis animum ſtudio applicuit, ut non ſolum praeceptoribus ſummopere placeret, verum etiam aetate, qua alii ſcientiarum rudimenta diſcere cupientes audientium ſubſellia frequentant, munere docendi publico, in celeberrima literarum univerſitate, in qua ipſe doctrinam ſuam hauſerat, ornaretur. Placuit in primis ingenium Noſtri morumque cultus LUDWIGIO, illuſtri quondam viro et de literarum univerſitate Lipſienſi longe meritiſſimo, qui non naturalem ſolum ſcientiam et univerſam medicinam liberaliter coluit, ac de utrisque praeclare meritus eſt, verum etiam quos ad ſcientiam peculiarem intenſius agi animadvertebat, conſilio reque iuvit. LESKIO vero contigit, ut neceſſitudine quadam cum praeceptore ſuo iungeretur ab eoque conſtitueretur ut rerum ſuarum academicarum inter ſtudioſos aliosque curam gereret: unde ſuppetiit illi conſiliorum de literariis rebus a praeceptore petendorum opportunitas, uſusque eſt illius inſtructiſſima bibliotheca, apparatu phyſico ſplendidiſſimo et collectione corporum naturalium copioſiſſima hoc in primis commodo, ut quae alii fugiente quaſi oculo conſpiciunt, conſuetudine quadam uſuque familiari ipſi innoteſcerent. Stipendium autem, quod his laboribus meruit, effecit, ut pecunia ad proſequenda ſtudia neceſſaria ſuppeteret. Anatomicae praeſertim ſcientiae

operam

operam dedit plurimam, nec solum demonstrationes cadaverum anatomicas vidit, verum ipse quoque cadavera incidit, quae ipsi exercitationes, animalium anatomen postea exponenti, plurimo usui fuere. Omnemque medicinam hoc studio coluit, ut in exercenda illa sibi aliisque suffecisset: sed quam studiose didicerat et callebat, medicinam, non exercuit, medica tamen sua scientia in instruendis dirigendisque commentariis de rebus in scientia naturali et medicina gestis, nec non veterinaria medicina novis experimentis augenda et in praelectionibus de naturalibus corporibus in humanae vitae commoda vertendis et noxis eorum avertendis commode usus est. Nec inter severiora studia elegantiores literas neglexit, scripsitque (quod opusculum e lucubrationibus literariis, quas postea copiosas edidit, primum est) gratulatoriam epistolam de difficultate Homeri carminum in vernaculam linguam ita transferendorum, ut ingenio poetae nihil detrahatur.

Academiarum studia qui tanto studio, LUDWIGIO in primis duce, prosequutus erat, aliis ut prodesse docendo posset et academici doctoris munus consequeretur, anno MDCCLXXIII. supremam in philosophica facultate dignitatem assequutus est, disputatione edita de vegetabilium propagatione: facultas autem ad publicas praelectiones instituendas ipsi data est, edito specimine, quo indicem piscium, qui in Lipsiensibus aquis vivunt, exhibuit. Quae ingenii atque doctrinae praeclara specimina effecere, ut cum applausu discentium plurimo naturalem historiam profiteretur et eodem anno, quo pisces Lipsienses recensuerat, MDCCLXXV nempe, munus naturalem historiam extra ordinem publice docendi cum CC. imperialium stipendio a Potentissimo Saxoniae Principe Electore ipsi demandaretur.

Quae insitae virtutis atque doctrinae praemia, praematura, si aetatem, vigesimum enim tertium vitae

 suae

ſuae annum nondum ſuperaverat, cum profeſſoris hiſtoriae naturalis extraordinarii munere ornaretur, matura vero atque meritiſſima, ſi ingenii cultum et doctrinae copiam reſpicias, effecere, ut omni, quo poterat, ſtudio, et maiori ſane, quam naturalis corporis ſui infirmitas ferre poſſet, animum ad excolendam ulterius diſciplinam, quam profitebatur maxime, applicaret. Corpora naturalia colligendo, ordinando, piſces praeparando, exſiccando et ſecundum generum atque ſpecierum eſſentiales notas ordinando, plantas exquirendo, ſiccando, ordinando, inſecta venando, lapides colligendo parcius, quod ipſi ſupererat, otium conſumebat, et ut tempus ad praelectiones et ad alia literarum ſtudia ſufficeret, ſera nocte rus ſylvasque petebat, ſub dio ad orientem uſque ſolem dormiturus et primo mane omnia, quae natura offerebat, conquiſiturus. Quae diligenter collecta congeſtaque in ordinem in diſcentium utilitatem, deinde aucta magnopere, conquiſitis ex quocunque terrarum angulo corporibus naturalibus, theſaurum conſtituunt rerum rararum, pretioſarum et magnis ſumtibus vix parabilium copia inſtructum, praeclaro, quo omnia digeſta atque diſpoſita ſunt, ordine, commendabilem omnibus, qui naturae ſtudio delectantur.

Non autem in hiſtoria naturali exponenda id ſolum reſpexit, ut ordinibus corporum naturalium, claſſibus, generibus atque ſpeciebus conſtitutis, notas tantum corporum diſtinctivas enarraret modumque quo natura ab alio ordine ad alium procedit, quae quidem non omiſit, probantia quippe, omnia in natura nexu quodam eſſe conſociata, cum quo ipſa ſemper ad alia procedat, id vero potiſſimum egit, ut conſtitutis claſſibus atque ordinibus, ſingulorum corporum naturalium naturam, utilitatem, noxas exponeret, modosque, quibus utilia in ſuos uſus vertere, nociua vero aut aver-



avertere, aut in commoda ſua vertere homines poſſent. Eoque modo ſcientiam per ſe iam ſatis utilem generi humano utiliſſimam effecit, utilitates in primis demonſtrando, quae ex naturalium corporum uſusque, quem habent, exacta cognitione in oeconomiam, agrorum praeſertim culturam artificiaque reſultant omnia. Incitabat nempe eum humanae felicitatis promovendae cupiditas, ut, quae ſcrutando atque explorando didicerat, ad vitae humanae uſus accommodaret, hinc in primis agrorum culturae omnibusque, quae ad oeconomiam ſpectant, operam dabat. In quibus ſtudiis iuvabatur admodum, cum anno MDCCLXXVIII. in ſocietatem oeconomicam Lipſienſem, membri honorarii dignitate reciperetur ipſique poſtea rerum ſocietatis gerendarum cura demandaretur. Servabat, pro muneris ratione, antiquum ſocietatis ſplendorem eumque augebat, ſodalibus compluribus, tam Germanis, quam exteris, qui doctrinae, experientiae atque induſtriae famam adquiſiverant, adſcitis, quorum viribus effectum eſt, ut ſocietas plurimum ad agrorum culturam perfectiorem reddendam artificiaque humana excolenda praeſtare poſſet. Ipſe quoque propoſitis multis, praeſertim ad agrorum culturam pertinentibus, quae in Saxoniae quibusdam partibus perverſe tractata non tantum emolumenti dabat, quantum dare potuiſſet ſecundum iuſtas naturae leges tractata, effecit quidem, ut cognoſceretur poſſe et debere agrorum cultum corrigi, per hunc pecudum copiam augeri, quae ruralis oeconomiae partem principem conſtituat, verum id non efficere potuit, ut, quibus antiqua conſuetudo ſanctitatem quandam dederat, opinionibus everſis, legibus ſublatis, ſaeculo quidem, quibus datae erant, non vero noſtrorum temporum ingenio idoneis, praeiudiciisque ex hominum animis depulſis et veritate reſtituta, quae meliora atque utiliora videbantur, in communes uſus verterentur eaque ruricolae experirentur, quae commoda utiliaque fore ipſe

 prae-

praeviderat. Obſtabat non raro is quoque animus, quo privata utilitas plurimorum ſaluti praeferri ſolet. Eaque Noſter tolerare quum nollet, Secretarii munere ſe abdicavit, principibus tamen viris placuiſſe, quae propoſuerat, vidit, eodem anno profeſſoris oeconomiae ordinarii munere, cum novo CC imperialium ſtipendio, ornatus, cui, quod omnibus notum eſt, et docendo et ſcribendo cum plurima laude praefuit, in primis autem ſcribendo, praeiudiciis quibusdam oeconomiae rurali peſtiferis acriter confutatis et proſpere expugnatis.

Qui agros colebant in Saxonia et aliis quibusdam Germaniae regionibus ſolo longe maiorem fertilitatem conciliari putabant, ſi, ubi cultum per aliquot annos fuiſſet variasque fruges exhibuiſſet, per anni ſpatium quieſceret hacque mora novam quaſi ad novas fruges progenerandas vim acquireret. Gramina herbasque alias in novali tali ſolo creſcentes pecoribus paſcendis adhibent, praediorum autem equeſtrium domini privilegio ut plurimum gaudent, anni quodam tempore exacto pecora ſua graminibus in his noualibus agris ſponte creſcentibus paſcendi. Idque agros colentibus plurimo eſt incommodo atque detrimento: gramina enim utilesque herbae absque cultura parcius prognaſcuntur, exeſa etiam a pecoribus prius quam ad maturitatem iuſtam perveniunt, hinc ruricolis pabulum deeſt alendis pecudibus idoneum, deſunt frumenta et ad ſtercorandum ſtramina. Lege inſuper cavetur ut plurimum, ne agricolae plus ruris, quam ferre volunt dynaſtae, colant utque agrorum partem ſatis magnam incultam ſterilemque ad ovium pecudumque paſcua ſinant. Inde ruricolis graminum herbarumque aliarum, quibus pecudes in ſtabulis commode veſcuntur, ſerendarum libertas aut nulla eſt, aut tali modo circumſcripta, ut earum copia vix unquam tanta ſit, quae pecudibus pro praediorum agrorumque magnitudine et ſtercorationis

rationis neceſſitate alendis ſufficiat. Ipſi etiam dynaſtae, priuilegio gaudentes, agros poſt meſſem, priusquam fruges iterum ſerantur, pratorumque gramina usque ad ſtatum tempus depaſcendi, vix permittunt, ut ruſtici herbas graminaque pecoribus alendis idonea artificioſe colant, prata ſtercorent eoque modo graminum proventum accelerent augeantque, neque ferunt prima meſſe exacta, ut vegetabilia ad hominum et pecorum alimoniam idonea in eodem, qui frumenta jam dederat, agro, colantur, eo conſilio, ut ſua pecora in his agris alimoniae majorem copiam, ſed aridae ſaepe atque ſucci expertis, habeant. Quod ſane frugum proventum minuit admodum et cum agricolae pecorum tantam copiam, ob pabuli idonei defectum, alere non poſſint, quae agris pratisque debite ſtercorandis ſufficiat, efficit, ut ex incultis agris ruricolis reditus nullus, ex cultis parcus, agrosque colentium hominum conditio talis ſit, quae a felicitate, quam natura illi adjunctam eſſe voluit, abſit quam longiſſime.

Isque perverſus uſus, qui a longiſſimis inde temporibus, ob defectum incolarum, agricolarum ignorantiam, ſtultam in conſuetudine veteri hominum pertinaciam, principum et procerum in rebus oeconomicis incuriam, pecudum cultum neglectum, in Germaniae univerſae et Saxoniae multis regionibus invaluerat, movit Noſtrum, ut opera, quam ad vitae ſuae finem usque ſtudio plurimo proſequutus eſt, magna aeque ac laudabili, imo cum audacia quadam (callebat enim ex dynaſtis et praediorum dominis adverſarios plurimos nacturum, multumque operae et ſudorum fore neceſſarium, ut antiquus privilegiorum valor minueretur et ruſticis agrorum ſuorum, modo, quo vellent, colendorum libertas redderetur) priſcae in agrorum cultura incuriae ſeſe opponeret agrorumque cum majore emolumento colendorum, et pecudum in ſtabulis alendorum probam commodam.



modamque rationem traderet. Quod in prolusione academica, ad audiendam orationem scripta, qua munus professoris oeconomiae publici ordinarii auspicabatur: de agri noualis cultura et ratione pecudes in stabulis pascendi, effecit, quam Schubartus von Kleefeld, germanice versam scriptis suis oeconomicis deinde inseruit. Qui libellus etsi in Germania non primus erat, in quo simplicissima et naturae reique publicae emolumento accommodata maxime haec agrorum colendorum ratio traderetur, inter primos tamen, ob argumentorum gravitatem, quibus proposita defenduntur, habendus est, quem etiam omnes, qui agrorum colendorum peritiam habebant, laudabant admodum probabantque.

Demonstrabat in primis hoc libello, in satis magna Germaniae parte tertiam, quartam, saltim sextam agrorum partem incultam jacere civesque hac frugum parte, quae in his agris provenire possent, destitui, hanc vero intermissam per annum agri culturam agro fertiliori reddendo parum vel nihil conferre, qui laetiores quidem segetes, sed ideo exhibet, quod stercora per mediam fere aestatem solo mixta magis computruerint, imo adimi vim solo nociuis et inutilibus herbis ac radicibus, praesertim tritici repentis, copiose ingeneratis, quae et operam facessant in exstirpando, et segetum proventum incrementaque praefocent. Debere hinc agros quotannis coli et frequenter stercorari, pro soli tamen natura varie: ad stercorandum autem pecudibus et straminibus, ad pecudes vero pabuli et recentis et sicci copia opus esse: stercoranda quotannis esse prata pecoraque omnia ab iis arcenda, et quum pratorum copia utplurimum vix tanta sit, ut justam cum agris proportionem habeat, divisis inter ruricolas communibus pascuis, sublatisque juribus pascuorum et fundorum servientium, prata esse augenda et herbas ad pastum vtiles serenda: nec permittendum esse ut pecudes in pascuis pascantur, quae pedibus



bus ſuis plus pabuli corrumpant, quam ad earum alimoniam neceſſe ſit, efficiant quoque ſaepius ut utilium graminum radices computreſcant: et quum mala utplurimum duraque gramina paſcuis minus cultis innaſcantur, carnes pecudi decidere, lac deficere, ob alimentum et idoneum minus et durum bonique ſucci expers et corporis ſub immiti ſaepe coelo nociuas affectiones. Praeſtare hinc rem pecuariam ita inſtruere, ut aut in ſtabulis amplis, mundis, aeri libero perviis, aut ſub dio, in area ſepibus praecluſa, ſubſtratis ſtraminibus, ne ſtercora perdantur, et facultas ad corpus in libero aere movendum pecudibus ſuppetat, pabulum praebeatur, eumque in finem ubi naturalia prata gramina non largiuntur, quae ſufficiant, artificialia prata, ſerendo herbas graminaque, quae et laete proveniant et perdurent, efficiantur: ovibus adeo alendis hunc modum eſſe maxime idoneum, quarum adeo lanae exinde nobiliores evaſerint.

Quae libro hoc in vulgarem uſum ſcripto propoſuerat, auditoribus, quos copioſos in oeconomicis praelectionibus habuit, exponebat, demonſtrabat experimentis et inſtitutis et ad demonſtrationem allegatis. Eoque modo, quum plures auditores haberet, qui aut praediorum domini jam eſſent, aut acquirendorum ſpem haberent, docendo effecit, ut quae expoſuerat demonſtraveratque juſtae agrorum culturae fundamenta, a multis in eum, quem requirunt, uſum traherentur. Quae vero ipſe experimentis profuſioribus, quod quidem vehementer optabat, probare non poterat, ea vir magni inter Germanos nominis, candidus et ad veritatem cum pertinacia quadam tuendam atque defendendam natus, Germanorum oeconomorum princeps, SCHUBARTUS *von* KLEEFELD, qui quantum virum morte ſua praematura perdiderit Germania, quantaque incrementa rationalis oeconomia exſpectare potuiſſet, ſi inter vivos diutius manſiſſet, ſcriptis ſuis abunde comprabavit, hoc modo



modo exſequutus eſt, ut non ſolum plures Germanorum principes ſuam in oeconomia methodum admirarentur atque imitarentur, verum etiam ex regionibus longe diſſitis homines ad explorandam, diſcendam, imitandamque ſuam, quam in oeconomia obſervabat, methodum, confluerent. Eadem in rebus oeconomicis, praeſertim in agrorum cultu, principia, idem animus veritati ſtudens atque deſiderio humanae proſperitatis augendae flagrans, eadem in tuendis, quae vera eſſe uſus comprobaverat, pertinacia, utroſque hos clariſſimos viros ita conjunxit, ut conſociatis animis atque ſtudiis non ſolum arctiſſimo amicitiae vinculo conjungerentur, verum etiam auctis in utriſque per ſocietatem in veritate defendenda ſeveritate et in exercendis his oeconomiae verae fundamentis conſtantia plurimum conferrent ad meliorem atque utiliorem oeconomiam efficiendam, ſaltim ad demonſtrandum quanta quamque pernicioſa labe recepta hactenus in oeconomicis rebus conſuetudo laboraret.

Praeter oeconomiam naturalem hiſtoriam indefeſſo ſtudio docebat tractabatque, cujus elementa in peculiari libro bis edito et in alias quoque linguas translato ad praelectionum academicarum uſum conſcripſit. Isque liber ob pulchrum lucidumque ordinem, quo expoſita ſunt omnia, doctis viris placuit admodum, eamque in primis ob cauſam naturalis hiſtoriae ſtudiis commode inſervit, quod characteres diſtinctivos tam in vernacula lingua, quam latina exprimat, uſum, quem ſingula corpora naturalia ad vitam humanam habent, enarret, librorum praeſtantiſſimorum titulos nec non varietatem nominum in exterorum linguis notatam contineat. In academicis vero praelectionibus omnia clare exponebat, diſſectionibus animalium inſtitutis eorum interiorem naturam demonſtrabat, allatis exemplaribus ex ſplendidiſſima naturalium corporum collectione ſua dicta illuſtrabat, nec putabat cum utlitate diſcentium multa natura-

lem



lem historiam doceri posse, nisi ipsi et generici et specifici characteres per ipsa naturalia corpora demonstrarentur: incitari etiam discentes hac delectatione ad severiora historiae naturalis studia efficique ipsis corporibus demonstratis notisque cognitis, ut eadem a discentibus et cognosci facilius et colligi in privatos usus possent.

Praeter naturalis historiae elementa, de quibus diximus, alia et praestantiora opera ad eam pertinentia edidit. BOHADSCHII librum de marinis animalibus minus cognitis, nec non IACOBI THEODORI KLEINII historiam echinodermatum additamentis auxit, lucubratiuncula etiam de aculeis echinorum marinorum adjecta, quae omnia latine edita peculiarem librum constituunt. Collegit etiam ex scientiarum societatis regiae Anglicae philosophicis transactionibus tractationes ad naturalem historiam, physicam practicam et oeconomiam pertinentes easque in vernaculam versas et aliquot voluminibus comprehensas edidit. Vermium autem naturalem historiam amplificavit admodum novisque inventis locupletavit, edito exiguae quidem molis, at magni ponderis, plurimi experimenti ac studiosae observationis opusculo: de vertiginoso ovium peculiari morbo et taenia hydatigena cerebri, causa ejusdem, quod Lipsiae, anno MDCCLXXX typis expressum est. Animadversum quidem jam ab aliis erat, oves hoc sporadico vertiginoso morbo frequenter tentari eumque semper esse mortiferum, quibusdam adeo veram illius causam, hydatidem nempe in cerebro natam, non ignorantibus, sed nec sedes mali, nec natura hydatidum probe notae erant. Primus Noster per experimenta et cadaverum incisiones demonstravit, hydatides in vertiginosis hoc modo factis ovibus in cerebro ipso sedem semper habere, grandiores in medullari cerebri substantia, minus grandes in cerebri ventriculis residere, hydatides ipsas cum cerebro immediato nexu non esse junctas, hydatigenas vero taenias



taenias cerebro exacte adhaerere, ipsi impactas, cerebrum his in locis quasi erosum ac putredine consumtum ex naturali suo situ ab hydatidum mole eversum esse, in reliquo vero corpore, ob adversam ex cerebro turbato valetudinem, mutationes plurimas observari, intestinorum angustiam, intestina sanguine turgida, inflammata, secundariarum nomine insigniendas, nec non connexos primario morbos, a taeniis hydatigenis aliis, fasciola hepatica, rel. repetendos.

Antiqua autem etsi erat opinio TYSONI, qua hydatidum verminosae origines statuebantur, quam praeclari in naturali historia viri, LINNAEUS, PALLAS, GÖTZIUS, WERNERUS, experimentis copiose factis veram et indubitatam demonstraverunt, nec temporibus, quibus Noster libellum hunc scribebat, haec incognita erant; origines tamen ovilli hujus morbi vertiginosi, quas quidam in hydatidibus esse sitas, dubitanter tamen, affirmaverant, a taeniis hydatigenis ignotae penitus erant, prius quam LESKIUS illas experimentis et cadaverum incisionibus, vere anni MDCCLXXIX in praedio Illustrissimi Comitis VITZTUM von ECKSTÄDT institutis detegeret.

Copiosam jam per se taeniarum hydatigenarum familiam LESKIUS auxit, detecta hac in ovium cerebro vesicula. Inventi vero honor GÖTZIO, viro doctissimo, quum tribueretur a quibusdam, GÖTZIO non succensebat, sufficere causam aegritudinis utilissimi pecoris nosse reputans, nec interesse agros colentibus et rem pecuariam exercentibus utrum sua, an aliorum diligentia: nec commodi quicquam ex hujus generis contentionibus redundare. Amicitiam potius cum GÖTZIO quam communia studia effecerant, sancte coluit, inventi vero sui historiam descripsit eaque demonstravit se jam anno MDCCLXXIX, in annotatione quadam ad TYSONI

de

de taeniis hydatigenis tractationem inventi ſui mentionem feciſſe dubiis tamen verbis, quoniam oculis ſuis convenientia ad examinandum curioſius arma hoc tempore deerant. Ipſum deinde GÖTZIUM de hoc invento ſuo certiorem fecit, qui tamen taeniarum in his hydatidibus praeſentiam in dubium vocabat primum, hydatidem enim in vini ſpiritu ſervatam examinaverat tantum, a LESKIO ipſi traditam, tempore vero vix multo interjecto HOFMANNO, optico Lipſienſi celeberrimo, ſcribebat, ſe, recentibus hydatidibus examinatis, perſpexiſſe innumeras atomos in iis obvias, quibus organicam ſtructuram antea vix tribuerat, et organicam habere ſtructuram, et taeniarum hydatigenarum familiae accenſendas eſſe. Gloria hinc taeniarum hydatigenarum in ovillo cerebro detectarum LESKIO merito vindicatur.

Multa etiam alia ad dilatanda hiſtoriae naturalis ſtudia et ruralis ſcientiae emolumenta molitus eſt. Quae ad naturalem hiſtoriam, chemiam, caet. pertinent, ex commentariis inſtituti ſcientiarum Bononienſis excerpſit et duobus voluminibus comprehenſa edidit. Promptuarii etiam curam editionemque naturalis ſcientiae, matheſeos et oeconomiae cum HINDENBURGIO, V. Cl. ſuſcepit, ſeparatis tamen poſtea, quae ad mathematicas diſciplinas pertinent et curantibus Clariſſimis Viris, HINDENBURG et BERNOULLI promptuarii peculiaris forma editis. Effecit autem hoc promptuario, ut, quae oeconomi obſervando atque experimentando didicerant, neque tamen typis mandata tale ſpatium comprehendunt, ut in libri formam redigi poſſint, cum omnibus oeconomicarum rerum cupidis communicarentur ac literarium quoddam commercium inſtitueretur inter celebriores et prudentiores Germaniae oeconomos, quo cogitata ſua atque experimenta facilius ſibi aliisque communicare poſſent. Praeclara inprimis hoc promptuario plurima continentur de agrorum ac pratorum cultura ad Noſtri et SCHUBARTI mentem tractata deque emolu-

** men-

mentis quae vegetabilium ad pecudum alimoniam ſatorum cultura attulerit, ut merito putandum ſit, hoc opere, in quo per ſingulos fere menſes nova cum hac oeconomica adminiſtratione capta emolumenta enarrabantur, oeconomiae ruralis hunc modum, qui SCHUBARTI inventoris nomen ferebat, a multis, intellectis ejus commodis, in uſum eſſe vocatum. Ejusmodi quoque fugitiva quaſi opuſcula, non multum operae in lectione faceſſentia lectoremque varietate quadam delectantia, ab his legi copioſe ſolent, qui ſeveriora lectionum ſtudia alias non amant, indeque vix dubium eſt, quin multi in re, quae tam copioſa emolumenta promittat, aemulatione quadam incitati, aliquid ſaltim ad oeconomicam ſuam adminiſtrationem a ſordibus purgandam effecerint. Noſter ſane, ubicunque poterat, oeconomiae rationalis, quae dederat, fundamenta ſtrenue adſeruit, SCHUBARTUM, agricolarum antiqua praejudicia acriter oppugnantem, defendit, ſevere et cum impetu quodam ab amico ſuo prolata grata quadam verborum blanditie mitigavit effecitque ut amici ſui ſuaque propoſita diſplicerent paucis, placerent plurimis et a permultis in oeconomiae reformandae uſum traherentur. Addidit Noſter ex phyſicis et ad naturalem hiſtoriam pertinentibus quae prodeſſe et lectionis viciſſitudine quadam delectare poſſent.

Commentarios de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis, quorum editionem LUDWIGIUS coeperat, ut lingua, quam omnes docti viri ſcirent, novarum et adnotatione dignarum rerum, quas ſcire intereſt medicis et naturae indagatoribus, ſcientia ad omnes doctos viros per Europam pervenire poſſet, quibusque ſolis hactenus exteris perſpicere licuit quaenam Germani in medicina et naturali ſcientia moliti fuerint efficiantque, poſt REICHELII obitum, qui curam eorum poſt LUDWIGII deceſſum non absque doctorum virorum probatione

pluri-



plurima fufceperat, a Volumine XXV. usque ad XXVIII edidit, adfcitis in laborum conſortium celeberrimis in Germania medicis et naturae indagatoribus. Copiofas cenfuras librorum ad naturalem fcientiam pertinentium ipfe elaboravit et diligenter ftuduit, ut hi commentarii et mature et ornate fatis ad viros Germaniae aliarumque terrarum doctos pervenirent.

Ampliffimum autem opus ad naturalem fcientiam, oeconomiam univerfam et technologiam fufcepit, fed, proh dolor! non ad finem perduxit, iter fuum per Saxoniam defcribendo, cujus prima pars impreffa nitidiffime et ornata omnibus, quibus argumenti gravitati per formae fplendorem cultus quidam addi poffit, in primis vero tabulis aeneis copiofiffimis et artificiofe a Richtero delineatis et Schönbergio fculptis, ex parte quoque coloribus diftinctis, ad modum, quo ABERLI Helvetiae alpes expreffėrat, Lipfiae, anno MDCCLXXXV prodiit. Diu fcilicet vir optimus propofitum habuerat terras omnes Potentiffimi Saxoniae Principis Electoris imperio fubditas peragrandi, et quidem non citato pede, fed retardato cohibitoque, ut omnia, quae ad naturae hiftoriam, phyficam, agrorum culturam, oeconomicas fcientias alias hominumque vivendi modum, cultum, artificiaque pertinerent, cognofceret intelligeretque quomodo agri colerentur, oeconomicae res tractarentur, quae produxerat natura dederatque ad hominum utilitatem felicitatemque impenderentur, utque, ubi delinqui in his intelligeret, meliorem atque probatiorem modum proponeret. In primis mineralogiam refpiciebat, quod ftudii genus amabat maxime et cum abundat Saxonia mineralium lectiffimorum copia, praevidebat, fore ut plurima offenderet, quibus defcriptis eorum fcientiam poffet dilatare, aut ufu demonftrato, civium ex iis commoda quaeftumque augere. Iter, libertate a Potentiffimo Electore Principe ipfi data, anno

 MDCCLXXXII.



MDCCLXXXII. ingressus est, eaque aestate patriam terram, superiorem Lusatiam, instructus copiose his, quae naturae indagationi inserviunt, peragravit, nec ex nobilissimis atque clarissimis viris in his terris deerant, qui labores suos consiliis aliisque modis multifariis juvarent, ita ut provinciam hanc, qua patet, peragraret, ab itineris via, vbi notabilia conspicienda et examinanda erant, deflecteret, neque urbibus visendis inhaereret, sed pagis, villis, sylvis, montibus examinandis, collectis et in adversariis notatis omnibus, quae ad itineris finem aliquo modo facere viderentur. Nec pictor ipsi deerat, qui naturam, ubi aut laetior apparebat, aut singularia atque notabilia prodebat, plantas, insecta, mineralia, montium strata, et delinearet, et coloribus distingueret. Amplissima observationum utilium copia instructus domum rediit, aeri incidendas picturas curavit, iter ipse elaboravit, regionum et locorum descriptione et observationum ubertate conspicuum, volebat enim, ut hoc opus posteris Saxoniam talem exhiberet, qualis suis temporibus fuisset indeque nihil eorum praetermittebat, quae ad amplissimae regionis et hominum in ea viventium statum pertinere ipsi ullo modo videbantur.

Primus autem ex copiosis historiae naturalis in Saxonia scriptoribus extitit, qui Saxoniae universae historiam naturalem describendi animum haberet. Hinc omnia, quae ex animali regno colligere poterat, diligenter examinavit novasque species, insectorum praesertim, complures detexit, quarum etiam, sed paucissimarum, icones in primo itineris tomo exhibuit (reliquas musei Leskiani index dedit). Agrorum et pecudum cultum commendavit ubique ratione et exemplis, pluresque, vix putantes, fore, ut trifolium aliaque pecudibus utilia pabula in agris suis crescerent, horum culturam docuit effecitque, ut ubi macra erant pecudibus per aesta-

aeſtatem parcaque per hyemem pabula, ea, et melioris quidem notae, utrique anni tempori ſufficerent. Diligenter etiam notavit in quibusnam artificiis diverſarum urbium incolae emineant et in quibus ipſa haec artificia et faciliora et utiliora reddi poſſint. Maximam autem montium deſcriptioni, in primo ſaltim itineris tomo, operam dedit, notabilium ob ſaxorum naturam, ſtrata ſitumque effigiem aeri inciſam exhibuit docuitque atque demonſtravit baſaltem terreno igni origines ſuas debere. Multas quoque obſervationes calcareos montes concernentes expoſuit. Plantarum et animalium deſcriptiones alteri tomo reſervavit, quem vero non edidit, aliis occupatus. Nec emptorum copia impenſis ad ſplendidum hoc opus ſumptibus reſpondebat.

Mineralogiae ſtudia ſublevavit, ſcriptis adnotationibus atque additamentis ad WALLERII ſyſtema mineralogiae, quo ad praelectiones academicas uſus eſt. Proprias etiam mineralogiae inſtitutiones meditabatur, quarum editionem aliorum negotiorum gravitas, tandem mors intercepit.

Multa ſane ad univerſitatis literariae Lipſienſis famam gloriamque, qua perpetuo floruit, conſervandam atque amplificandam fecit, nec pauca tulit oeconomicum in primis SCHUBARTI ſyſtema cum contentione plurima defendendo. Qui vero amicis omnibusque viris doctis laboribus ſuis ſatisfecerat, non tamen ſibi ſatisfeciſſe putans, dies noctesque ſtudiis operam dando transigebat ut adeo corporis valetudo, per ſe parum durabilis, inde laederetur. Phyſices profeſſionem, poſt obitum FUNCKII, viri quondam clariſſimi, petebat, ipſeque cum HINDENBURGIO, V. Clariſſimo amico ſuo et laborum ſocio inter eos nominabatur a ſenatu academico, ex quibus phyſices profeſſor conſtitueretur. Quod munus etſi petebat, non tamen amico ſuo aduerſabatur,

 repu-



reputans plurimum intereſſe ut digno atque bene merenti viro profeſſio demandaretur: indeque demandato HINDENBURGIO phyſicen docendi munere gratulabundus amicum adiit, laetus ob munus, quod ipſe non obtinuerat, amico ſuo, viro digniſſimo, oblatum. Ipſe autem quum munus academicum vix aliud adſpiraret, niſi cui ſufficeret et digne praeeſſe poſſet, nec praeuideret, fore, vt alio munere ornari poſſet, diſciplinis, quas colebat, accommodato, ipſo ſcilicet oeconomiam atque naturalem hiſtoriam, HINDENBURGIO vero phyſicam docente, aliquoties quidem ad alias academias vocatus renuerat, officia patriae praeſtanda aliis praeferens: ſplendide vero atque liberaliter Marburgenſem literarum univerſitatem nuper cum ornaſſet Sereniſſimus Haſſiae Landgravius, WILHELMUS IX, ſumma ampliſſima ad amplificanda academica ſtudia collocata, doctisque hominibus pluribus cum ampliſſimis ſtipendiis ad univerſitatis gloriam augendam convocatis, viris praecipue, qui utiliſſimas medicinae et naturalium rerum ſcientias exponerent, BALDINGERO, V. Ill. quem amicum noſter habebat, ſuadente, ipſi munus in hac literarum univerſitate camerales ſcientias atque oeconomiam docendi demandatum eſt. Non abnuebat, quod aliis occaſionibus fecerat, amicis etiam ſuadentibus, quos conſuluit.

Diſceſſit Lipſia die 7 menſis Novembris anni MDCCLXXXVI cum conjuge liberisque, tempeſtate et gelida admodum, et ventoſa exiſtente, Marburgum, ut novum munus auſpicaretur, petiturus. Patriam ſanus reliquit, flagrans deſiderio perficiendorum eorum omnium in naturali ſcientia et oeconomia, quae et muneris ratio, et alia plurima Lipſiae interceperant. Sed iter ipſi ſi non exitio fuit, ad adverſam tamen valetudinem, mox lethiferam, qua in ipſo itinere affici coepit, contulit. Vix enim itinere duorum miliarium emenſo curru cum conjuge liberisque euerſus eſt, corpore tamen nec ſuo,



ſuo, nec reliquorum euidenter laeſo. Sed ventoſum frigus, cui per aliquot horas ſub dio exponebatur, uſque dum leuato curru omnia in ordinem eſſent reſtituta idque atrox admodum, non ſine valetudinis noxa ſuſtinuit. Laetus quidem et ſanus apparenter ſequenti die conjugis dilectiſſimae lectiſſimaeque natalia feſta celebrabat, amico aduerſa, quae illi acciderant jocoſe perſcribebat, proſequuto itinere cum plurimo ciborum deſiderio prandebat, omniaque in corpore ſuo ita geri videbantur, ut etſi infirmum nec antea conſtanti valetudine gauiſum eſſet, tamen non eſſent, quae magni futuri morbi metum incuterent.

Verum aegrum jam antea corpus morboque diuturno ac rebelli affectum tantam valetudinis a frigore injuriam non ſine noxa tulit. Herpetum acrimonia per plures annos corpori optimi viri inſederat, cui praefocandae operam dederat, quam potuerat, maximam. Medicinis praeſertim mercurialibus, et antimonialibus copioſe ſub qualicunque forma datis, hoc inimicum inquinamentum medici oppugnaverant, ſed absque plurimo effectu: nec balnea, ſuadentibus et medicis, cui corporis curam mandauerat, REICHELIO atque DAEHNE, V. celeb. et amicis, neglexerat. Nimius tamen in mercurialium et aliarum potenter ſolventium medicinarum uſu fuiſſe videtur, nec deflexit ab iis, herpetum exanthemate licet pertinaciter perſiſtente et abdominalem regionem in primis occupante. Nec cum mihi perſcriberet noxas ſuae valetudinis et quid ad eam inſtaurandam medici praeceperint meaque conſilia intelligere cuperet, putaui fore, vt mercurialibus et potenter alterantibus medicinis multum proficeret, et diluentia et ſolventia ex ſaponaceorum vegetabilium genere, absque adſtrictione roborantibus interpoſitis, ſuaſi, quae ſane medicinae mihi, corporis ſimul non neglecto motu et ſtudiorum intenſitate circumciſa, utiliores viſae ſunt, cum laborioſa pulmo-



num atque viſcerum abdominalium actio leuari quidem, verum ob vitium in vertebrarum dorſalium ſitu, quod ad herpetum inquinamenti primas origines contuliſſe ſaltim aliquo modo videbatur, corrigi penitus non poſſet.

Morbi lethiferi initia nauſea fecit, altero die itineris, poſt cibos copioſe ingeſtos, Noſtrum occupans. Colicos ſimul dolores perpeſſus eſt, tranſeuntes quidem atque fugitivos, attamen et redituros, tantamque ſpiritus difficultatem, quantam vix unquam in vita ſua expertus fuerat. Quae tamen partim a cibis ingeſtis, partim ab aeris injuriis deriuabat, nec tanta erant, ut itineris perſequendi propoſitum interciperent. Agebat e contra, ut Caſſellos perveniret ibique mora itineris facta, medicos conſuleret. Morbus vero in ipſo itinere invaluit, quem tamen aegrotans ingratum itineris comitem et cum eo natum eodem abſoluto deceſſurum rebatur. Conſulebat tamen Caſſellis FISCHERUM, Sereniſſimi Haſſiae Landgravii medicum cubicularium, qui medicamenta viſceralia praecepit, in quorum uſu ſe melius habere coepit. Abdominis affecti ſymptomatibus profligatis perſtabat atrox ſpiritus difficultas, quam ex pectoris praeter naturam anguſtata ſtructura ipſe explicabat. Adibat adeo eos, qui ſtudiis Marburgenſibus praeerant, amicosque, ipſum adeo principem, gratias ei pro ſplendidiſſima vocatione dicturus, exceptusque ab eo beneuole ac perhumaniter eſt, dimiſſusque conſilio dato, ut valetudinem ſuam curaret. Quibus peractis urbem reliquit, itineris finem acceleraturus. Sed in ipſo hoc itinere morbus tantum auctus eſt, ut inter ſeueriores ſpiritus anguſtias delirio etiam corriperetur. Morbo fere confectus, per itineris moleſtias aucto, Marburgum pervenit. Laetabundus eum excipiebat BALDINGERUS, ob amici, quem jamdudum dilexerat, adventum, triſtis vero ob adverſum quem timebat, morbi

morbi exitum. Omnia molitus eſt ad morbum profligandum felix hic atque doctiſſimus medicus, in curationis conſortium etiam adſcito Clariſſimo viro, MICHAELIS, quorum vero conjuncta opera atroci morbo ſuperando non ſuffecit. Vires quidem aegri paulisper augebantur, quiete ipſi reddita, morboque auſpicatior forma videbatur, ut adeo die XXV. Novembris lectum deſerere, literas ſcribae mandare et ipſe ſcribere poſſet, nec valde a morbi vi affici videretur: de praelectionibus adeo auſpicandis cogitabat coenabatque cum plurimo ciborum deſiderio. Etſi vero omnia laetiorem ſpem promittere videbantur, tanta tamen ſpirandi difficultas erat ut vix, niſi ſtans, res ſuas agere poſſet. Ejusdem diei veſpertino tempore periculoſiora omnia facta ſunt, abdomine cum plurimo dolore intumeſcente. Vocati medici morbum, e periculoſo periculoſiorem factum, lethiferum fore praevidebant. Medicamenta dabant alvum leniter cientia, et reſpondit aliquoties alvus. Ipſe Noſter praevidit mortem, nec horruit humanarum calamitatum finem, quas crebras expertus fuerat. Abdomen interea magis et cum majori duritie intumuit, dolore etiam aucto. Noctu ſopore correptus vix plurimo ſpiritum placide, quiete, ſanorum inſtar duxit, mox vero convulſus leniter interiit.

Mortuum deſideratiſſimi viri corpus MICHAELIS, V. Clariſſ. praeſente BALDINGERO, V. Ill. incidit. Siniſtrum abdomen maculas herpetum exanthematis complures exhibuit, eaedemque in brachio ſiniſtri lateris obſervabantur. Siniſter pulmo uno loco pleurae praeter naturam connexus erat: tertia coſta ejusdem lateris quartae fere tota, media quintae coſtae pars ſextae incubuit. Omnes ſiniſtri lateris coſtae in media parte longe magis extenuatae, quam in extremis erant, quintae cartilaginoſa appendix cum ſextae cartilagine connata erat. Dextri lateris co-



ſtae plus, quam per ſanitatem licet, a ſe invicem diſtantes intercoſtales muſculos extenuauerant admodum.

Siniſter pulmo ſaniſſimus erat, volumine tamen longe minor, quam ſecundum naturam eſſe debuiſſet, renem adeo ſani hominis magnitudine non aequabat graciliorque erat, quam unquam in adultis eſſe ſolet. Quod a pectoris oſſei in prima pueritia optimi viri laeſione explicandum eſt, quae ob vertebrarum dorſalium et inferiorum colli verſus dextrum latus diſtorſionem tanta erat, ut liberum huic pulmoni locum non daret, ejus etiam cum reliqui corporis incremento intercepto. Dexter pulmo parvus praeter naturam, mole tamen ſiniſtro major, caetera ſaniſſimus erat. Pericardium inciſum aquas vix ullas, cor vero praegrande exhibuit. In abdominis cavo aqua ad libram circiter effuſa, fellis veſicula a bile vacua deprehendebatur: in hepate et ventriculo nil adverſi viſum eſt. Jejuni inteſtini pars totumque ileon admodum rubra et anatomico quaſi artificio cera rubra injecta deprehendebantur, augebatur autem in ileo rubedo eo magis, quo magis ad craſſa inteſtina vergeret. Inciſa praeter naturam conſtituta haec inteſtina et nervoſam et muſculoſam tunicam inflammatas exhibuerunt: ſana caeterum craſſa inteſtina erant. Vertebrae dorſales ſuperiores et colli inferiores verſus dextram et externam partem praeter modum flexae erant.

Eoque modo corpore ab itineris injuriis nimis affecto et inteſtinis occulte inflammatis deſideratiſſimus vir interiit, cum ſperare et ſibi, et rebus ſuis proſpera quaevis poſſet ampliſſimamque occaſionem eſſet nactus naturae ſtudium experimentis, obſervationibus, praelectionibus excolendi excultumque jam proſequendi ulterius. Eam enim in primis ob cauſam Sereniſſimus Haſſiae Landgravius Marburgenſem ſuam literarum univerſi-



verſitatem ampliſſima pecuniae ſumma ditaverat, ut ad naturalium ſcientiarum ſtudia tam docentibus, quam diſcentibus qualiscunque opportunitas conciliaretur. Callebat enim magnus is ſtudiorum fautor patriorumque promotor eximius, non ſufficere ad ſtudia naturae, ut verſatiſſimi in iis viri in univerſitatis conſortium convocentur, ſed alias quoque opportunitates requiri, eamque ob cauſam hortum botanicum reſtaurandum, theatrum diſſectiónibus anatomicis aptum exſtruendum jubebat, ómniaque ita fieri, ut commodiorem ſtudiis ſuis ſedem Noſter vix optaſſet. Nec ſane absque laboribus literariis otium Marburgenſe transegiſſet. Libris, quos ſcribere jam coeperat, elementorum hiſtoriae naturalis parte altera, botanica, tertiaque mineralogica (naturalem enim hiſtoriam univerſam in ſyſtematis formam, in praelectionum uſum redigere volebat) hiſtoriae naturalis encyclopaedia, Fauna Saxonica, ad finem perductis editisque, catologum naturalium corporum, quae ipſe in muſeo ſuo aſſervabat, dare volebat, quo ſimul minus cognitorum generum atque ſpecierum characteres eſſentiales continerentur.

Libri vero, quibus memoriam ſui inter nos ſervavit ſervabitque vlterius, terſo comptoque dicendi genere, quod veterum ſtudio debebatur, lucidoque ac concinno expoſitorum ordine ſe commendant. In eo in primis praecellebat ingenium, ut diſtinctivas corporum notas, ordinemque adeo corporum naturalium maxime naturalem mox intelligeret. Hinc quo confuſa magis genera et ſpecies corporum naturalium erant, quo magis dubii characteres, eo felicior fuit in illis conſtituendis, his vero eruendis, cujus ingenii in diſpoſitione echinodermatum praeclarum ſpecimen edidit. Oeconomiam univerſam libris editis non pertractavit, illius vero in popularem uſum inſtitutiones ſcribere inſtituerat: hanc vero deſcripſit, ex qua, quidquid utilitatis oecono-

mia

mia habet, ceu ex primis fontibus deducitur. Eamque non a SCHUBARTO didicerat, ſed librorum lectione, cogitatione ac obſervatione eorum, quae in communi agrorum cultura fieri videbat; primusque inter Saxones cum aucta re pecuaria, agriculturam ſcriptis publice libris commendabat.

Praelectiones, pro muneris ratione, in hiſtoriam naturalem, camerales ſcientias et oeconomiam inſtituit. Naturalem hiſtoriam ab anno MDCCLXXIX ad libri proprii ductum explicuit, qui tamen regnum animale tantum complectebatur. Ad minerale regnum exponendum in WALLERIUM additamenta ediderat. Res in praelectionibus dilucide et cum plurimo ordine explicabat plurimaque naturalia corpora auditoribus ex muſeo demonſtrabat. Caeterum oratoriae arti in praelectionibus operam non dabat, ſed naturali puraque dictione dicenda ita proponebat, ut nec fuſus nimis videretur, nec contractis rebus explicatione dignis difficulter intelligeretur. Hinc omnes qui ſcientiis, quas proponebat, ſtudebant eum lubenter audiverunt.

Multum etiam temporis, nec minus ſumptuum, literario commercio impendit, quod cum amicis doctisque viris tam Germanis, quam exteris, habebat. Coluere, ex pluribus aliis, amicitiam ſuam literasque ad eum dedere inter Suecos Clariſſimi viri BERGMANNUS, THUNBERGIUS, CEDERBAUM, MURRAY, inter Danos, MVELLERUS, EGGERS, inter Gallos BROUSSONNET, inter Italos, VOLTA, SCOPOLI, ALLIONI, inter Ruſſos, PALLAS, FERBER, CAROSI inter Polonos, inter Germanos, BLOCHIUS, MURRAY, NICOLAI, BALDINGER, GRUNER, ROMANUS, WERNER, WESTRUMB, CRELL, SCHROEDER, VOIGT, GMELIN. Multos ex amicis recta ſua mente ſibi conciliaverat, ac doctrinae, qua florebat fama, nec parciores, ob com-

munia



munia cum aliis ſtudia habuit. Proſequuti etiam eum ſunt favore ſingulari, Sereniſſimus Princeps haereditarius Rudolſtadienſis, nec non Sereniſſimus Princeps de Fuerſtenberg.

Virum ob doctrinae copiam ſummopere aeſtimatum doctorum hominum ſocietates plurimae in conſortium literarium adſciverunt, Societas imperialis libera Petropolitana; Societas Regia patriotica Stockholmienſis, moralium atque oeconomicarum ſcientiarum Bavarica Burghauſenſis, phyſiographica Lundenſis, medicinae regia et muſei Pariſienſis, naturae curioſorum Berolinenſis, Tigurina, ſocietas in artium et ſcientiarum emolumentum Francofurtenſis, oeconomica Lipſienſis, ſcientiarum et apiaria in Luſatia ſuperiore, nec non Regia ſcientiarum Bohemica. Societas Regia ſcientiarum Gottingenſis ſocii correſpondentis nomen illi dedit.

Vitam duxit, qualis a viro expectari poteſt, qui ad humani generis felicitatem, quidquid poterat, libenter ac ſtudioſe, imo cum propriae valetudinis detrimento quodam contulit, probam rectamque. Deum ſancte coluit ejusque cultum magni fecit. Superſtitionem in omnibus rebus odio proſequebatur, verus naturae cultor, qui uſu didicerat, quantum ſuperſtitio praejudicataeque opiniones naturalium ſcientiarum progreſſui obfuerint. Bonus vir erat in quo nihil ficti, nihil ſimulati, plurimus candor, mens juſti tenax erat: eamque mentem ſuam non oratiunculis ingenioſe excogitatis demonſtrabat, ſed agendo atque faciendo, quae animo ſentiret, prodebat.

Conjugem duxit ineunte anno MDCCLXXX. SOPHIAM ELEONORAM MUELLERIAM, JOANNIS GODOFREDI MUELLERI, bibliopolae Lipſienſis non ignobilis, filiam unicam, virginem ornatiſſimam, quae vidua ſuper-



ſuperſtes, quae adhuc ex clementia Sereniſſimi Haſſiae Landgravii Wilhelmi annuae penſionis CCC. imperialium fructum capit, cum liberis, quos ex feliciſſimo conjugio ſuſcepit duobus, mariti, quem plurimo amore proſequuta eſt, obitum acerbe luget. MUELLERO eodem anno MDCCLXXX. demortuo, bibliopolium in filiam, LESKII conjugem, haereditatis jure cum transiret, LESKIUS illius curam gerebat, et quidem tanta cum peritia, ac ſi univerſam vitam ſuam in negotiis hujusmodi gerendis transegiſſet. Utilia ab inutilibus diſcernere et doctorum hominum labores ad inprimendum ſibi oblatos in primis in naturali hiſtoria et oeconomia aeſtimare quum poſſet, vix accidere poterat, ut libris aut malae notae, aut inutilibus ſumptus ſuppeditaret, amans autem ſcientiarum naturalium, ad libros, qui ad has ſpectant, in primis ſumptus, eosque non raro permagnos, dedit. In his opera ſunt argumenti et gravitate conſpicua, et figurarum aeri inciſarum copia, elegantiaque in primis commendanda, in quibus HEDWIGII plantas cryptogamicas, THUNBERGII Floram Japonicam, MERREMII ſyſtema ornithologiae, ejusdemque avium hiſtoriam generalem, BERGMANNI opuſcula phyſica et chemica, MUELLERI entomoſtraca, STORRII Alpinum iter, CRELLII diaria chemica, inter plurimos alios, qui ſuis ſumptibus impreſſi ſunt, nominaſſe ſufficiet.

SCRIPTORUM A LESKIO EDITORUM TITULI.

Epiſtola gratulatoria Homeri Verſionem Germanicam non eſſe probandam. Lipſiae, 1772. 4.

Diſſertatio de vegetabilium generatione. Lipſiae 1773. 4.

Ichthyologiae Lipſienſis Specimen. Lipſ. 1774. 8.

Aus-

Auserlefene Abhandlungen praktifchen und chirurgifchen Inhalts aus den philofophifchen Transaktionen und Sammlungen der Jahre 1699 bis 1720 gefammlet und überfetzt. Mit Kupfern. Erfter bis fünfter Theil Lübeck 1774—1778. 8.

Anfangsgründe der Mineralogie nach den Grundfätzen der Probierkunft. Aus dem Franzöfifchen des Hrn. Sage, mit einigen Anmerkungen vermehrt. Leipzig 1775. 8. 262 pag.

Io. Bapt. Bohadfch *Befchreibung einiger minderbekannten Seethiere. Dresden 1778. 4. mit Kupf.*

De agri noualis cultura et ratione pecudes in ftabulis pafcendi differit atque ad audiendam orationem aditialem, qua munus profefforis oeconomiae publici ordinarii clementiffime fibi demandatum d. 25. Jul. An. 1778. aufpicabitur. Lipfiae, 4. 18 p.

Additamenta ad Jacobi Theodori Kleinii naturalem fynopfin echinodermatum et lucubratiunculam de aculeis echinorum marinorum. Cum XVIII tabulis aeneis. Lipfiae, 1778. 4. 214 pag.

Abhandlungen zur Naturgefchichte, Phyfik und Oekonomie, aus den philofophifchen Transaktionen und Sammlungen, von dem erften Bande angefangen, gefammlet und mit einigen Anmerkungen überfetzt. Erften Bandes erfter und zweiter Th. Leipz. 1779. 4.

Anfangsgründe der Naturgefchichte. Leipzig, 1779. 8. Editio altera prodiit an. 1784, cum XII tabulis aeri incifis et complectitur 42 plag.

Italica hujus operis verfio prodiit Ticini Regii, an. 1786. duobus voluminibus comprehenfa, auctore ERMENEGILDO PINI.

Von dem Drehen der Schaafe und dem Blafenbandwurme im Gehirne derfelben, als der Urfache diefer Krankheit. Mit einer Kupfert. Leipzig, 1780. 8. 52 p.

Abhandlungen zur Naturgefchichte, Chemie, Anatomie, Medicin und Phyfik, aus den Schriften des Inftituts

ſtituts der Künſte und Wiſſenſchaften zu Bologna. Mit Kupf. 1. Band. Brandenburg, 1781 2. Band 1782 8.

Leipziger Magazin zur Naturkunde, Mathematik und Oekonomie. Herausgegeben von B. C. Funke, N. G. Leske und C. F. Hindenburg. 1781 — 1785. 8. Quatuor particulae hujus promptuarii volumen conſtituunt.

Ann. 1786 liber hic hoc titulo, phyſicis et mathematicis ſcientiis ſeparatis, prodit, quo adhuc continuatur.

Leipziger Magazin zur Naturgeſchichte und Oekonomie. Herausgegeben von N. G. Leske.

Reiſe durch Sachſen in Rückſicht der Naturgeſchichte und Oekonomie unternommen und beſchrieben. Leipzig 1785. 4. cum XLIX tabulis aeri inciſis, quarum complures vivis coloribus artificio plurimo diſtinctae ſunt.

Inſertae etiam quaedam ejus tractationes leguntur in libris ad phyſicen et hiſtoriam naturalem pertinentibus: Sammlungen zur Phyſic und Naturgeſchichte, nec non in libro, qui Halae, apud Gebauerum excutitur: der Naturforſcher.

Plures librorum ad naturalem hiſtoriam et oeconomiam pertinentium cenſuras continet celebratiſſimus liber: allgemeine deutſche Bibliothek a volumine inde XXXIX.

Labores quoque literarii ab eo profecti leguntur in Ephemeridibus literariis Lipſienſibus, exceptis tamen annis 1777, 1778, 1779 et 1785. Wittebergenſibusque, nec non in ephemeridibus litteraturae univerſalis Jenenſibus. Sua quoque contulit ad indicem generalem librorum novorum, qui Lipſiae apud Cruſium prodiit, nec non ad relationes literarias bibliopolii eruditorum.

PRAE-

PRAEFATIO.

Iam iam b. L. partis hucusque imperfectae, collectionis zoologicae, Musei, cuius *Pars Entomologica*, praeterlapso paschali mercatu, *alio* quidem autore, in lucem iam prodiit (nunc vero absolutionis causa huic catalogo est inserta), plenum accipias indicem.

Quod me attinet, huius musei dominae, viduae nimirum iam mortui Leskii Doctoris publici, precibus commotus, quin hunc susciperem laborem, eumque quam primum perficerem, sane haud potui. Finis enim dominae, quem sibi proposuit, nec nullus rei peritus probet, necesse est, *quod omne Museum, quo haec Zoologica, deinde botanica et demum mineralis collectio continetur, et copiae et pretii causa, integrum ac indivisum vendatur*, sicque eo magis historiae naturalis studio consulatur, spectat. Quem igitur finem sibi propositum, ut obtineret praetereaque lector oculis quam facillime ac celerrime perlustraret, harum rerum omnium profecto pretiosarum, quas ne Leskius quidem morbo oppressus morteque exstinctus, Marburgi perlustrare ac disponere potuerat, index scientifice ordinatus haud contemnendus videbatur.

Quae cum ita sint, nec ullus praeter Equitem a Linné in toto animalium regno, illustrior subtilior aeque in perscrutando ac tractando versatus

*** mihi

mihi videatur, hoc viro, nec qui unquam memoria excidat noſtra digniſſimo; huius ipſius Viri ſyſtema — ne id quidem Schreberi, Blochii, Martini, Chemnitzii, Nobilis Bornii, Goezii cet. virtutibus ac meritis, ſane ſumme venerandorum naturae indagatorum detracturus, omnium horum in tractandis *ſingulis* claſſibus, notitia ſcientifica uſus — eligendum putaverim. Quem autem Virum haud exiguum, omnique imitatione in naturae hiſtoria tradenda digniſſimum, me *nullo modo tolutim ac ſervitii more* eſſe ſecutum, huc vel illuc potius viam ab ipſo ingreſſam, caute magis quam temere, reliquiſſe, Viris, quorum merita in ſua ipſorum vel arte vel diſciplina ſane ſunt cognita, experta atque probata, ducibus eorumque rationibus commotum, ex indice ipſo luculenter patebit.

Quibus dictis naturae hiſtoriam non edere, ſed potius *varietates ſingulasque res, ſcientifice diſpoſitas iuſtis rectisque nominibus* notatas, in medium proferre fuiſſe meum, ne quis omittat, voluerim. Characteres igitur *genericos* ac *ſpecificos* deſcribere atque afferre, qui iam noti ſuppoſiti, ſimulac de individuis, vel ad hoc vel illud genus referendis eſt ſermo, extra omnem dubitationem ponuntur, *valde inutile* mihi videbatur. Sin huc illucve occurrerint deſcriptiones, hae modo *iſtas* praecipue *notas*, quibus unius eiusdemque ſpeciei varietates *inter ſe abhorrent*, ſpectant; qua re, ut mihi videtur, dum characteres ſpecificos tamquam membra *ſummatim* ex iſtis ſeriebus, quarum *ſinguli* termini

varie-

varietatum ſunt notae ducta, habenda eſſe puto, efficitur, ut theſaurus iſte et magis ob oculos ponatur et rectius ac copioſius ſyſtema conſtituatur. Quas quidem varietates in primis rerum formam externam, ipſarumque ſaepiſſime colores attingere, iam per ſe patet; ita ut characteres *ſpecificos* ubi vel minus notae et rariores res occurrebant, vel *ſpecifici characteres a Linnaeo* aliisque hunc ſecutis *in medium prolati, noſtro individuo inſitis* ac propriis, abhorrebant, vel demum in indicandis iſtis ſpeciebus, quae *novae* a me diiudicantur, inſerendos eſſe putaverim. In utraque re modo commemorata, ſi aliter egiſſem, haud dubie peccaſſem dignusque eſſem, qui reprehenderer; dum rei periti hac via *et* apti iudicando redduntur, quid quantumque ſit tribuendum iudicio meo, *et* hiſtoriae naturalis ambitus eiusmodi indiciis ac characteribus eſt augendus atque amplificandus.

Quilibet autem ut emtor futurus ſive dominus ſciat, quid emendum, ac Eruditus, quid diiudicandum ſit de rebus a me deſignatis conſtitutisque; in cuius ordinis rebus deſcriptis, opera claſſica, ubi latius fuſiusque ſynonymis ac imaginibus aere excuſis inſtructae atque adornatae traduntur, ſunt adlata. Quam ſaepiſſime, iſta opera, quae *poſt Linnaei* Syſtema compoſita, in publicum prodiere allegavi, quibus inter ſe comparandis, ut mihi videtur, non modo legenti haud exiguum emolumentum, ſed etiam multa voluptas adfertur; quod ſi autem omiſerim, atque libros iam *ante Linnaei* ſyſtema editos, po-

 ſuerim,

fuerim, necessitate cogente factum esse, quivis sibi persuadeat velim.

Leve quidem citata loca per totas paginas extracta, ac diffusa ex LINNAEO describere, sane autem valde inutile negotium fuisse, nemo non videt; dum huius systemate gaudens, simul quoque his citatis est instructus, hoc autem non habenti, hic catalogus minime curae cordique erit. — Tamen ad rem ipsam:

1) *Mammalium* numerus est exiguus; ita ut SCHREBERI opus, quo omnia hac de re dicenda continentur, *solum* allegandum satis putaverim.

2) In indicandis *avibus* maxime BUFFONIUM, ac quidem editionem germanicam 1772 parte prima in lucem editam, adtuli. MERREMI libro nimis manco adhuc ac imperfecto, de quo praeterea an praestiterit, quae sperat, est quod dubitemus, plane prorsusque non usus; destitutus atque relictus BUFFONII igitur tomis duodecim, ex BRISSONII opere praestantissimo citata supplere conatus sum, ac utriusque libris aere excusis imaginibus deficientibus, FRISCHIUM et EDWARDS, adlegavi.

3) Quoad *Amphibia;* nil simile SCHREBERI mammalibus existit, quod quidem est dolendum; huc pertinentes autem icones ex Sebae opere, sane digno, quod priorum duorum ordinum LINNAEI classicum dicatur, adtuli. Quam dubiam ac incertam *Linnaei Serpentum* descriptionem *ex scutorum squamarumque numero*, et quantopere aptio-

aptiorem esse optandam; huc illucve haud parvo computationis discrimine me ostendisse, puto.

4) Cum BLOCHIUS in *piscibus* non minoris faciendus esse mihi videatur, quam SCHREBERUS in Mammalibus, atque *Nantia Linnaei Amphibia* ad piscium genus adnumeraverit; aeque ad hunc *ordinem* atque ad *classem* modo citatam, loca huc pertinentia e BLOCHII opere laude dignissimo afferenda, ac GRONOVII Ichthyologiam quam rarissime extra ordinem tantum adducendam, arbitrabar.

5) In *vermium* diversis ordinibus, quin multa variaque allegarem, quod quidem inutile in *Intestinalibus* a Celeberr. GOEZIO quam plenissime ac accuratissime traditis, nec autem in *Molluscis* et praesertim in *Asteriis Echinisque*, in *Sebae* libro classico praeclare tractatis mihi videbatur, facere haud potui. Quod autem attinet *Testacea*, duo ista praeclara ac plena opera, nempe: *Testacea mus. Caes. Vind. a Perillustri Bornio descripta*, et *conchyliorum collectionem a Martinio* (sub nomine vulgari: Martini Konchilienkabinet) institutam, CHEMNITZIO autem nuper absolutam, hic in medium protuli. In cognoscendis ac notandis conchyliis, quibus nam insectisque, longe maxima pars animalium regni *Musei Leskeani* continebatur, praecipue nec ulli diligentiae operaeque peperci, ita ut non modo MARTINIUM atque CHEMNITZIUM, in *specie* allegaverim, sed etiam characteres, quo specimina Musei ab istis hoc in opere descriptis ac delineatis, discrepant, notaverim;

verim; unde fit, ut opus horum virorum ſemper *ſub varietate* deſcripta, quod quidem rei peritis aeque gratum acceptumque eſſe debet, ac mihi fuit moleſtum, adducatur. Perill. *a Bornii* opus, quod illo *collectaneo conchyliorum*, magnitudine cedit, obiter *in ſpeciebus* (ut LINNAEI ipſum) praecipue eorum cauſa, qui hoc ampliori non gaudent, a me citatum eſt; ita tamen ut, MARTINIO, CHEMNITZIO nobilique BORNIO, vel inter ſe, vel a LINNAEO abhorrentibus, ipſe diiudicare conatus fuerim. Illi enim duo Viri, ſin haud raro, ſolas *varietates immerito* iam alienas ac *diverſas ſpecies* putaſſe, mihi videbantur, LINNAEUM ac BORNIUM; ſin iure autem, *ipſos* ſum ſecutus; ſicuti hanc illamve novam ſpeciem BORNII, perſaepe hoc in indice adtuli. An forſitan interdum, BORNIO Conchyliogiſtarum Peritiſſimo, CHEMNITZIOQUE Solertiſſimo alienis, recte comparandis noſtris ſpeciminibus ipſorumque characteribus, in notis adſperſis huc illucve emendatio ac correctio mihi contigerit, non meum ſed aliorum eſt diiudicare. In determinanda Conchyliorum patria, *quam breviſſime* adiecta, praecipue Celeb. CHEMNITZIUM ſecutus ſum. Cum praeterea conchyliorum magnitudo, vim haud mediocrem habere mihi videatur in ipſorum pretium, quin cuiusque ſpeciminis ambitum ſpatiumque adferrem haud dubitavi; qua quidem re, *et* emtor ad diiudicandum aptior, et individuorum deſignatio plenior redditur.

Typis ipſis *notas proprias* ac peculiares, quibus ſpecimina inter ſe diſtinguuntur, ne una eademque

demque res ſub diverſis numeris occurrere videatur, exprimere conatus ſum. *Concharum*, ubi *ſolitariae* modo adfuere valvulae, notavi: quae autem nota ubi deeſt, *omnibus* huc pertinentibus valvulis, ſpecimina ſunt inſtructa.

In *Coralliis*, quorum numerus haud eſt exiguus, praeter *Sebam*, *Eſperi* Phytozoa iam plene in lucem edita optaſſem, quorum autem *primo* duntaxat *faſciculo* in publicum progreſſo uti potui. Ad Linnaei Syſtema ſupplendum, v. c. in *Antipathum* genere, et nonnullis ſpeciebus ab ipſo omiſſis, Pallasii Zoophytorum Elenchum, in uſum adhibitum laudavi; cuius libri verſio nuperrime in germanicam linguam haud vitioſe, ut fertur, abſoluta atque edita eſt.

Praeterea generatim nonnulla mihi addenda videntur.

a) *Omnium* vel ſaepius vel rarius laudatorum autorum ſyllabus plenus eſt hic:

Caroli a Linné Syſtema naturae. Edit. 12. Holmiae 1766. 1767 in 8.

— — — Muſeum Reg. Ulricae. Holmiae 1764. in 4.

— — — Mantiſſa altera. Holmiae 1768. in 8.

Schrebers Säugthiere. 1 — 12 Abtheilung mit illum. Kupf. neue Aufl. 1782 — 1787. in 4.

Des Gr. v. Büffons Naturgeſchichte der Vögel überſ. von Martini 1 — 6 Band. Berl. 1772 — 1776, fortgeſetzt von Otto bis zum 12 Band. 1776 — 1786. in 8. mit Kupf.

Leske Naturgeſchichte, neue Aufl. Leipzig 1785. in 8. mit Kupf.

 Ornitho-

Ornithologie ou methode contenant la diviſion des oiſeaux en ordres, ſections, genres, eſpeces et leur varietés par Mr. *Briſſon.* Paris 1766. Tom. I — VI. in 4. avec Fig.

Joh. Leonh. Friſch Vorſtellung der Vögel in Deutſchland. Berl. 1733. in Fol.

Gleanings of natural hiſtory, exhibiting figures of quadrupeds, Birds, inſects, plants by *G. Edwards.* Lond. 1758 — 1764. P. I — III.

Heſſiſche Beiträge zur Gelehrſamkeit und Kunſt. 5tes Stük. Frankf. am Main 1785. in 8.

Enchiridion hiſtoriae naturali inſerviens .... editore *I. R. Forſter.* Halae 1788. in 8.

Locupletiſſimi rerum natural. theſauri accurata deſcriptio, et iconibus accuratiſſimis expreſſio, per univerſam phyſices hiſtoriam .... ex toto terrarum orbe collegit, digeſſit, deſcripſit et depingendum curavit *Albertus Seba.* T. I — IV. Amſtel. 1738 — 1765. in Fol.

Göze Naturgeſchichte der Eingeweidewürmer, neue Aufl. Leipzig 1787 mit Kupf. in 4.

Leske Abhandlung vom Drehen der Schaafe. Leipz. 1780. in 8. mit Kupf.

Vermium terreſtrium ac fluviat. ſuccincta hiſtoria autore *O. Fr. Müller.* Havniae 1774. in 4.

Blochs ökonom. Naturgeſchichte der Fiſche Deutſchlands. 3 Theile. Berl. 1781 — 1784. in 4. mit 108 ill. Kupf.

— — Naturgeſchichte der ausländiſchen Fiſche; ebenfalls 3 Theile. Berl. 1788 mit illum. Kupf.

Gronovii Muſeum Ichthyologicum ſiſtens Piſcium... deſcriptiones ordine ſyſtematico. Lugd. Batav. 1754. in Fol.

Leskii Ichthyologiae Lipſienſis ſpecimen. Lipſ. 1774. in 8.

Berliniſche Beſchäftigungen naturforſchender Freunde. 2 Theil. Berl. 1777. in 8.

Pallas

Pallas fpicilegia Zoologica. Fafc. 1 — 13. Berl. 1772. in 4.

— — Elenchus Zoophytorum. Hag. Comit. 1766. in 8.

Teftacea mufei Caefarei Vindobonenfis, quae difpofuit et defcripfit Ign. Nob. *a Born.* Vind. 1780. in Fol. cum iconib. pictis.

Martini Konchilienkabinet. 1 — 3 Band. Nürnberg 1769 — 1777. in 4., fortgefetzt von Chemniz, 4 — 10 Band, ebendafelbft 1780 — 1788. mit illum. Kupfern.

Prodromus Zoologiae Danicae, feu animalium characteres et nomina .... autore *O. Fr. Müller.* Havniae 1776. in 8.

b) Avibus, vermibusque icones pictas adieci. Tres fpecies ac quidem, ut mihi videntur novae, quae *Certhia longicauda* (Nr. 71), *Trochilus maximus* (Nr. 76), et *Pipra tricolor* (Nr. 139), a me laudantur copiofeque defcribuntur atque fignantur, ut quilibet rei peritus cognofcere et experiri poffit, an recte habeantur novae, aut non, nec in LINNAEI nec BRISSONII, BUFFONII, MERREMII operibus occurrunt, (ut quoque *Merops Cafer Linnaei*, huc usque nondum ni fallor in fyftemate quodam depictus) ornithologicis imaginibus, noviffime delineatis a Viro Illuftri *a Wildungen*, Sereniff. Haffiae Principi a confiliis regundae civitatis, et artis et fcientiae ornithologicae peritiffimo, continentur. *Omnibus coram* huic *Viro*, aeque ego ac pofteri *b. Leskii*, gratias quam maximas agere, pro ftudiis officiisque in nos humaniffime collatis, fumus omnino coacti. Quod dolerent, effet, fi chalcographi vitio, hae fane

 venuftae

venuſtae et accuratae delineationes, corrumperentur.

Tabulae *helminthologicae* conchylia modo continent in MARTINII ac CHEMNITZII opere nondum delineata; *Coni aulici* nempe duas varietates notatu dignas (Nr. 510 et 511) (quae fortaſſe non immerito ſpecies diverſae habentur), *Cypreae ſtercorariae* unam varietatem (Nr. 531[b]) veriſimile *mancae* atque *diſtortae*, *Muricem toruloſum Linnaei* et has quae mihi novae videntur ſpecies, ut: *Voluta Subpraeputium* (Nr. 727); *Murex cancellatus* (Nr. 1020) *Nerita Chryſoſtomus* (Nr. 1190) ac *Nerita reticulata* (Nr. 1236); quas cognitas et expertas rei periti, faciliime vel probabunt vel reiicient.

Varietates tres priores in *minus* ſpatium ambitumque aequa ratione redactae, vel ex *ſcala geometrica*, *poſterior* autem LINNAEI, aliaeque quatuor *novae* ſpecies *iuſta magnitudine* ac *naturali*, ut dicunt, ſignantur.

c) Ne quis emtorum externorum tam pretio, quam re ipſa defraudetur decipiaturque, omnes res mancas atque vitioſas, ipſas, vel minimum laeſas, notis adſperſis magna fide indicavi.

d) Omnes res iſtae, quae in ſpiritu vini adſervantur ſub finem hunc in modum ſunt notatae: (J. S.) praeter Amphibia, quae fere omnia ita ſervata ſunt. Quod reliquum, Mammalia ut fieri ſolet ſunt conferta, etiamque aves; piſces autem ex recentiorum more convexi ſunt arefacti atque aſſerculo glutinati. Hi tamen quoad colorem fere omnes ſunt aliquantum corrupti.

e) Cum

e) Cum viciſſim unius eiusdemque varietatis plura ſpecimina, haud bene ſeparanda ab ipſa collectione univerſa, occurrant; varias deſcriptiones excipiens numerus, ſpeciminis quantitatem denotat; ita ut numerus 2 v. c. ſignificet, ſpecimen in *duplo;* 3 in *triplo* cet. adeſſe.

f) Numeris cuiusque claſſis cum 1. incipientibus, omni commutationi in ordinandis diſponendisque rebus alio forſan loco, occurſurus ſpectavi, ut ſemper littera prima Claſſis, *numeros ſpeciminibus ipſis adfixos*, numerisque indicis noſtri convenientes, antecedat. V. cauſa.

M. 4.	denotat	Mammalium	Nr. 4.
A. 4.	-	Avium	Nr. 4.
Amph. 4.	-	Amphibiorum	Nr. 4.
P. 4.	-	Piſcium	Nr. 4.
V. 4.	-	Vermium	Nr. 4. cet.

g) Nonnulla vitia haud magni momenti in numerorum progreſſu commiſſa, v. gr. quod 1237 excipiat 1241, 1242 cet., loco 1238 cet.; 519 ſubſequatur 519[b], 519[c] cet., loco 520; qui errorum in numeris ſcribendis facilitatem haud ignorat, magisque rei quam numeri cupidus ac rerum eſt negligens, quae rem ipſam non tangunt, quam facillime ignoſcit.

h) *Typothetae vitia* potiora in ſyllabo peculiari emendata erunt.

Quod reliquum eſt, commendare Muſeum, quod ſe ipſum commendat dignumque, quod a peritiſſimis doctiſſimisque laudetur Viris; minime: fautoribus autem mihique amicis, quibus adiu-

adiuvantibus vel ipſorum libris pretioſis, vel conſuetudine ſcientifica hoc in opere perficiendo verſatus ſum, gratias quam maximas poſſum, palam agere, inprimis *Illuſtri Baldingero* Sereniſſ. Haſſ. Princ. *a conſiliis intimis* ac Medicorum Peritiſſimo doctiſſimoque, *Perilluſtri Baroni a Selchov*, *Univerſitatis Marburg. Cancellario Celeberrimo* atque Clariſſimo Buschio profeſſori Medicinae optime merito, meum fuiſſe arbitrabar. Quoque ceteris, quorum ſtudiis, officiisque commoratio quam maxime iucunda ac ſuavis mihi redditur *Marburgi*, illas ut iuſtas referrem, ſi hic eſſet locus.

Quam primum tamen Deo volente, Eruditorum Reipublicae, catalogum mineralium collectionis pretioſiſſimae, perquam accurate ac ſcientifice inſtitutum, me offerre poſſe, ſpero.

Dabam Marburgi
5. a. Cal. Octobr.
MDCCLXXXVIII.

D. L. G. Karſten.



MUSEUM LESKEANUM

REGNUM ANIMALE

CLASSIS I.

MAMMALIA.



REGNI ANIMALIS
CLASSIS PRIMA.
MAMMALIA.

I. Ad characteristicam Mammalium et quidem

A. Ad *characteristicam internam* seu *Physiologiam.*

a. *Hominis.*

1 *Partus maturus*, *Thorace aperto*, ut respirationis organa cum corde conspiciantur. Europ. (J. S.)
2 *Part. mat.* Aethiopis masculini generis. (J. S.)
3 Foetus *partui proximus* ex Aethiope matre et Europaeo procreatus. (J. S.)
4 Foetus *quinque circiter mensium* cum membrana floculenta Hunteri, Europ. (J. S.)
Obs. Oculus alter hoc in subjecto est excisus, ut concretarum palpebrarum ratio pateret.
5 Membranae caducae Hunteri pars soluta. (J. S.)
6 *Organa respirationis et deglutionis* Infantis cum lingua et corde (J. S.)
7 *Brachium* cera injectum *infantis semestris.* (J. S.)
8 Brachium *infantis* 4 *circiter annorum*, vasis injectis conspicuis.
9 *Maxilla inferior* partus maturi.
10 *Ossicula capitis* infantis *neonati* separata.
Obs. Os sphenoideum distinctissimum.
11 *Sceleton infantis* 3 circiter mensium cum vasis sanguiferis injectis.
12 *Cor humanum* cera injectum *cum truncis potioribus vasorum.*
13 Cor humanum cera impletum, cum *aorta* et *vena cava descendente* nec minus ramificationibus validioribus.
14 Sceleton *maris adulti.*
Obs. magnitudine 5 ped. et 10 poll. superat.
15 *Ossicula capitis humani*, maxilla inferiore deficiente.

16 Os frontis.
17 Bregmata duo.
18 Offa temporum 2.
19 *Os temporum diffectum*, ut meatus confpiciatur auditorius.
20 Offis temporum *pars petrofa* diffecta. 4.
21 *Offa maxillaria* fuperiora. 2.
22 Os fphenoideum.
23 Os jugale.
24 Officulum Palati.
25 Officula Nafi.
26 Officulum fpongiofum *inferius*.

b. *Aliorum animalium.*

27 Foetus *canis familiaris*, duarum circiter hebdomadum, in duplo. (J. S.)
28 Foetus eiusdem, *paulo major*. (J. S.)
29 Foetus canis fam. 6 *circiter hebdomadum* (J.S.) 2.
30 Foetus *vitulinus* femeftris. (J. S.)
31 Foetus vitul. *minor* cum placenta, *decem* circiter *hebdomadum*. (J. S.)
32 Foetus ejusdem *duorum* circiter *menfium*. (J. S.)
33 Foetus *porcinus*, 8 circiter hebdomadum. (J. S.)
34 Cor cum lingua et fterno, *felis domefticae*. (J. S.)
35 Sceleton *Talpae* Europaeae. In duplo.
36 Sceleton *Leporis?*
37 Sceleton *Sciuri vulgaris*.
38 Pars petrofa offis temporum *Elephantis* maximi.
39 Fornix cranii *Ovis arietis*.

Obf. Hoc fpecimen nobis propterea quam maxime videtur infigne, quod animal cui pertinebat, vertigine (vulgo Drehkrankheit) laborabat, unde foramina haud angufta confpiciuntur a Taeniis perforata.

40 Os temporum ovinum, quo *officula auditus* cum *tympano* optime diftinguuntur.
41 Pars petrofa offis temporum ovini, in qua *cochlea cum labyrintho* auditorio imprimis confpiciuntur.

B. Ad characterifticam *externam*.

42 Caput *Canis Lupi*
43 Caput *Felis Tigridis*.
44 Caput *Felis Cati*.

45 *Leporis timidi* caput, maxilla inferiore deficiente.
46 Caput *Cervi capreoli.*
47 Caput *Bovis Tauri.*

Obſ. Cornu alterum deſtructum, oſſa naſi deficiunt, et oſſa ſpongioſa inferiora cum vomere conſpicua ſunt.

48 *Ovis Arietis* maris caput.

Obſ. E rubia tinctorum, nutrimento animalis cum viveret, coloratum.

49 Caput *Suis Scrofae.*
50 Caput Suis *Babyruſſae.*
51 Ejusdem Caput, laniaribus *brevioribus* ac *magis curvatis.*
52 Elephantis max. dens laniarius.
53 *Equi caballi* dens molaris.

Not. Capita (43 — 52) ea de cauſa huc locavi, quia *forma ac accumulatio dentium* in ipſis perdiſtincta et praeſertim notatu digna eſt *in determinandis generibus* mammalium.

54 Rhinocerotis cornu albidum, ſubconiforme attenuatum.
55 *Cornu* Cervi Elaphi, duodecim, ut dicunt, terminorum.
56 Cornu eiusdem ſpec. minus et octo terminorum.
57 Cervi *Damae* cornu.
58a Cornu Cervi *Tarandi.*
58b Cornu Cervi *capreoli.*
59 *Caprae rupi caprae* cornua 3.
60 *Ungula* cervi *Alcis.*
61 Ungula cervi *capreoli.*

II. Ad Syſtema.

Ordo primus. PRIMATES.

SIMIA.

62 Simia Capucina. Linn. S. N. Gen. 2 Sp. 30.
Schreber Tab. XXIX.
Pectus ſpec. noſtrae f. cit. multo obſcurius.

VESPERTILIO.

63 Veſpertilio *Spectrum.* Linn. S. N. Gen. 4. Sp. 2.
Schr. T. XLVI. (J. S.)

64 Vespertilio *murinus*. Linn. S. N. Gen. 4. Sp. 6.
Schr. T. LI.
Membrana, dorsoque, subferrugineis, pectore abdomineque albescentibus.

65 Vesp. *ferrum equinum* Buff.
Schr. T. LXII. Fig. infima.
Membrana ex atro-fusca, dorso pallido. (J. S.)

Ordo II. BRUTA.

MANIS.

66 Manis pentadactyla. Linn. S. N. Gen. 9. Sp. 1.
Schreb. Tab. LXIX.

DASYPUS.

67 Dasypus novemcinctus. Linn. S. N. Gen. 10. Sp. 6.
Schreb. Tab. LXXIV. (J. S.)

Ordo III. FERAE.

PHOCA.

68 Phoca vitulina. Linn. S. N. Gen. 11. Sp. 3.
Schreb. Tab. LXXXIV.
Colore flavo, immaculato, capite aliquantum destructo.

FELIS.

69 Felis Lynx. Linn. S. N. Gen. 13. Sp. 7.
Schr. Tab. CIX.
Dorso fulvo, pectore, abdomine, pedibusque albidis, maculis nigris, variis. Canadens.

MUSTELA.

70 Mustela *Putorius*. Linn. S. N. Gen. 15. Sp. 7.
Schr. Tab. CXXXI.

71 Must. *Erminea*. Linn. S. N. Gen. 15. Sp. 10.
Schr. Tab. CXXXVII. A.
Corpore superne ferrugineo, subtus luteo, cauda supra dimidium atra.

72 Must. nivalis. L. S. N. Gen. 15. Sp. 11.
Schr. Tab. CXXXVIII.

URSUS.

73 Ursus Meles. Linn. S. N. Gen. 16. Sp. 2.
Schr. Tab. CXLII.

DIDEL-

DIDELPHIS.

74 Didelphis *Marsupialis*. Linn. S. N. Gen. 17. Sp. 1.
Schr. Tab. CXLV. (J. S.)
75 Didelph. *dorsigera*. Linn. S. N. Gen. 17. Sp. 5.
Schr. Tab. CL. (J. S.)
76 Did. dorsigera, *pullus*. (J. S.)

TALPA.

77 Talpa Europaea. Linn. S. N. Gen. 18. Sp. 1.
Schreb. Tab. CLVI.

SOREX.

78 Sor. araneus. Linn. S. N. Gen. 19. Sp. 5.
Schr. Tab. LX.
Dorso ex ferrugineo-fusco, gula, pectore, abdomineque pallidis.

ERINACEUS.

79 Erinaceus Europaeus Linn. S. N. Gen. 20. Sp. 1.
Schr. Tab. CLXII.

Ordo IV. GLIRES.

CAVIA.

80a Cavia Aguti Pall.
Schr. Tab. CLXXII.

CASTOR.

80b Castor Fiber. Linn. S. N. Gen. 23. Sp. 1.
Schr. Tab. CLXXV.
Corpore flavescente-ferrugineo, immaculato.

MUS.

81 Mus *cricetus*. Linn. S. N. Gen. 24. Sp. 9.
Schr. Tab. CLXXXVIII. A.
82 Mus *musculus*. Linn. S. N. Gen. 24. Sp. 13.
Schr. Tab. CLXXXI.
Varietas undique nivea, auribus caudaqúe solis lutescentibus.
83 Mus *amphibius*. Linn. S. N. Gen. 24. Sp. 11.
Schr. Tab. CLXXXVI.
Cauda muris arvalis Pall. sed magnitudo Muris amphibii.

84 Mus *silvaticus*. Linn. S. N. Gen. 24. Sp. 17.
Schr. Tab. CLXXX.

SCIURUS.

85 Sciurus vulgaris, rufus. Linn. S. N. Gen. 25. sp. 20.
Schr. Tab. CCXII.

Ordo V. PECORA.

BOS.

86 Bos Taurus vitulus. Linn. S. N. Gen. 32. Sp. 2.
Huius speciei pellis nondum arte in effigiem composita est.

CLAS-

CLASSIS II.

A V E S.

REGNI ANIMALIS
CLASSIS SECUNDA.
AVES.

I. Ad characteristicam ornithologicam, et quidem

A. Ad characteristicam *internam.*

1 Sceleton Corvi.
2 Pullus Gallinaceus in ovo. (J. S.)
3 Pulli duo Loxiae cuiusdam, in ovulis. (J. S.)

B. Ad characteristicam *externam*; ratione

a. *Rostri.*

4 Caput Falconis; (rostro *adunco.*)
5 Caput Corvi, mandibula inferiore deficiente; (rostro *cultrato.*)
6 Caput Certhiae; (rostro *incurvato.*)
7 Buceri bicornis, rostrum *serratum*, *fronteque ossea.*
8 Rostrum Ramphasti, *serratum*, *naribus ad rostri basin.*
9 Turdi caput; (rostro *emarginato*, *subulato*, *basi compresso.*)
10 Eiusdem caput; (rostro *parum arcuato* et *magis compresso.*)
11 Caput Fulicae atrae; (rostro *convexo*, *mandibula superiore fornicata*, inferiore pone apicem gibba.)
12 Caput Anatis Anseris; (rostro *unguiculato*, *denticulis membranaceis.*)
13 Cap. Ardeae Stellaris; (rostro *recto subacuto.*)

b. *Pedum.*

14 Pedes Corvi, (*fissi* atque *cursorii.*)
15 Pes Meleagridis Gallopavonis.
16 Pedes Phasiani Galli, (*pentadactyli.*)
(vid. Buff. Cours d'Histoire natur. III. 42. *Poule a cinq doigts.*)

17 Pedes

17 Pedes Ardeae cinereae, (*pinnati.*)
18 Pedes Fulicae atrae, (*ſublobati.*)
19 Pes Anatis Anſeris, (*palmatus.*)
20 Pedes 2 *connati*, *monſtroſi*, Anatis domeſticae.

II. Ad Syſtema.

Ordo I. ACCIPITRES.

FALCO.

* Cera lutea.

21 Falco *fulvus*. Linn. S. N. Gen. 42. Sp. 6.
Buffon. 1. p. 108. Tab. 2.
Obſ. Longitudo ipſius ab apice roſtri ad caudam usque, pedes 3 aequat, craſſities, ſesqui-circiter pedem.
Not. Qui *F. ad Lipſiam* a MDCCLXXXIII. glandibus emiſſis interfectus eſt. (vid. Leske Naturgeſchichte p. 277. ed. nov.)

22 Falco *anatinus*. Briſſ. Aquila anatina.
Buffon. 1. p. 109. Tab. 4.
Forma fere F. Buteonis ſed *pedibus* gaudet *hirſutis*.

23 F. *pygargus*. Linn. S. N. Gen. 42. Sp. 11.
Buff. 2. p. 17. Tab. 29.

24 F. *gentilis*. Linn. S. N. G 42. Sp. 13.
Buff. 2. p. 12. Tab. 28.
F. Dilute cinereus, abdomine, femoribusque niveis.

25 F. *Subbuteo*, *mas*. Linn. S. N. Gen. 42. Sp. 14.
Buff. 2. p. 143. T. 42.

26 F. Subbuteo, *femina*, ibid.

27 F. Buteo, *femina*. Linn. S. N. Gen. 42. Sp. 15.
Buff. 2. p. 3. Tab. 22.
Femoribus *ferrugineis*.

28 F. Buteo *mas*. Linn. ibid.
Femoribus *niveis*, ac minor.

29 F. *Tinunculus*. Linn. S. N. Gen. 42. Sp. 16.
Buff. 2. p. 148. Tab. 43.
Mas; caput collumque cinereſcens, gula albida, remigum tectrices rufae, fuſco faſciatae, femora rubeſcentia.

** Cera obſcura.

30 Falco palumbarius. Linn. S. N. Gen. 42. Sp. 30.
Buff. 2. p. 46. Tab. 32.
Femina, quod praecipue e magnitudine patet.

31 Falco

31 Falco Nifus. Linn. S. N. Gen. 42. Sp. 31.
Buff. 2. p. 35. Tab. 31.
Femina, pectore albo fufco variegato, femoribus albis immaculatis.

STRIX.

*Auriculatae, pennis auricularum inftar exftantium.

32 Strix *Otus*. Linn. S. N. Gen. 43. Sp. 4.
Buff. 2. p. 42. Tab. 63.

**Inauriculatae.

33 Strix *Ulula*. Linn. S. N. Gen. 43. Sp. 10.
Buff. 3. p. 81. Tab. 70.

34 Strix *Funerea*. Linn. S. N. Gen. 43. Sp. 11.
Briff. av. 1. tab. 37. fig. 2.

LANIUS.

35 Lanius *Erytrocephalus* Frifchii.
Frifch tab. 61.
Not. Ornithologiae peritiffimus *Grandidier* in libello, cui eft titulus:
Heff. Beitr. zur Gelehrfamkeit 5 St. 1785. pag. 108. *jure* jam jam mirabatur, Linneum immortalem hanc avem Germaniae frequentiffimam plane omififfe. L. *lucionenfis*. Linn. ab illa, ut icon Briff. etiam probat, non multum differt.

36 Lanius *Excubitor*. Linn. S. N. Gen. 44. Sp. 11.
Buff. 2. p. 173. Tab. 45.
Mas, pectore rufefcente, fronte, fafciaque oculorum haud angufta, perater.

37 Lanius Excubitor. *femina*. Linn. ib.
Pectore albido, grifeo undulato, capite cinerefcente, fronteque ipfi concolore, fafcia oculorum anguftiore nigra.

38 Lanius *Collurio*, mas. Linn. S. N. Gen. 44. Sp. 12.
Buff. 2. p. 186. Tab. 48.

Ordo II. PICAE.

Roftrum fubcompreffum, convexum.

PSITTACUS.

Brachyuri cauda aequali.

39 Pfittacus *Erithacus*. Linn. S. N. Gen. 45. Sp. 24.
Frifch. av. 4. t. 51.
Spec. male confervatum.

40 Pfit

40 Psittacus *brasiliensis*. (J. S.) Linn. S. N. Gen. 45. Sp. 36.
Edwards av. T. 161.

41 Psitt. *chrysopterus*. (J. S.) Linn. S. N. Gen. 45. Sp. 44.
Edwards av. t. 293. fig. 2.

42 Psitt. *passerinus*. Linn. S. N. Gen. 45. Sp. 47.
Edwards av. tab. 235.
Spec. satis bene conservatum.

RAMPHASTOS.

43 Ramphastos *dicolorus*. Linn. S. N. Gen. 46. Sp. 7.
Briss. av. t. 31. fig. 1.
Quod spec. fragmentum modo refert huius speciei, caput cum collo et pectoris parte suprema, continens.

CORVUS.

44 Corvus *Corax*. Linn. S. N. Gen. 50. Sp. 2.
Buff. 7. Fig. ad pag. 27.

45 Corv. *Cornix*. Linn. S. N. Gen. 50. Sp. 5.
Buff. 7; fig. ad pag. 114.

46 Corv. *Glandarius*. Linn. S. N. Gen. 50. Sp. 7.
Buff. 7; fig. ad pag. 219.

47 Corv. *Pica*. Linn. S. N. Gen. 50. Sp. 13.
Buff. 7; fig. ad pag. 173.

CORACIAS.

48 Coracias Garrula. Linn. S. N. Gen. 51. Sp. 1.
Buff. 7; fig. ad p. 274.
Dorso rufescente, remigum tectrices primores ferrugineae, secundariae, antrorsum coeruleae, postice autem cyaneae, cauda integra, rectricibus 2 supremis fuscis, inferioribus autem dicoloribus ad crissum scilicet coeruleis, et ad apicem cyaneis, lateralibus 2 exceptis, quae apice ultimo gaudent fusco. Avis pulcherrima.

ORIOLUS.

49 Oriolus Galbula, *mas*. Linn. S. N. Gen. 52. Sp. 1.
Buff. 8; fig. ad p. 270. (bene)

GRACULA.

50 Gracula religiosa. Linn. S. N. Gen. 53. Sp. 1.
Buff. 9; fig. 1. ad pag. 192.
Nigro-coerulea, subtus undique fasciis lutescentibus frequentissimis ac tenuibus undata. (J. S.)

PARA-

PARADISEA.

51 Paradisea apoda. Linn. S. N. Gen. 54. Sp. 1.
Büff. 7; fig. ad pag. 192.
Ferruginea, gutture virescente nitido, pennis elongatis, dorsi lutescentibus hypochondriorum niveis.

CUCULUS.

52 Cuculus canorus. Linn. S. N. Gen. 57. Sp. 1.
Frisch. t. 40. (non satis bene)
Subtus albida, fasciis fuscis undique undata.

53 Cuculus canorus. Linn. ib.
Gula, pectoreque cinereis, rectrice prima caudae, nitide nigra, punctis albis quaternis ad scapum locatis, notata.

YUNX.

54 Yunx Torquilla. Linn. S. N. Gen. 58. Sp. 1.
Briss. av. 4. t. 1. fig. 1. (icon accuratissima.)
Fasciis ocularibus fuscis, *perdistinctis*, nec ab Ill. Linn. nec a celeberr. Br. commemoratis.

PICUS.

55 Picus *martius*. Linn. S. N. Gen. 59. Sp. 1.
Frisch. t. 34. fig. 1.

56 Picus *viridis*. Linn. S. N. Gen. 59. Sp. 12.
Frisch. t. 35. fig. 1.
Mas, temporibus *coccineis*.

57 Picus viridis. Linn. ib.
Femina, temporibus *atris*.

58 Picus major *mas*. Linn. S. N. Gen. 59. Sp. 17.
Frisch. tab. 36.

59 Picus major *femina*. Linn. ib.
Crisso *solo* coccineo, vertice nigro.

60 Picus *varius* mas. Linn. S. N. Gen. 59. Sp. 20.
Rostro potius *cultrato* et arcuato quam polyedro.

61 Picus *tridactylus*. Linn. S. N. Gen. 59. Sp. 21.
Edwards av. tab. 114.
Dorso virescente nigro, subtus ex albo nigroque varius. Suecicus. (J. S.)

SITTA.

62 Sitta Europaea. Linn. S. N. Gen. 60. S. 1.
Briss. av. 3. 29. fig. 3. (icon satis bona.)
Mas; corpus cinereum subtus rufescens, fascia oculari utrinque angusta et atra.

ALCE-

ALCEDO.

63 Alcedo Ispida. Linn. S. N. Gen. 62. Sp. 3.
Edwards av. t. 11.

MEROPS.

64 Merops Cafer. Linn. S. N. Gen. 63. Sp. 7.
Corpus ſuperne omnino cinereſcens, macula nigra in medio dorſo, ſubtus albidum; uropygio, criſſoque flaveſcentibus; cauda longiſſima, magnitudine corporis duplici; pennis colli et capitis ſetaceis. Roſtri tam compreſſi quam abbreviati cauſa, hoc Linnaei genus, mihi potius *ad Paſſeres* referendum videtur.

UPUPA.

65 Upupa Epops. Linn. S. N. Gen. 64. Sp. 1.
Briſſ. av. 2. tab. 43. fig. 1.

CERTHIA.

66 Certhia *Capenſis*. Linn. S. N. Gen. 65. Sp. 4.
Briſſ. av. 3. tab. 31. fig. 1.

67 Certhia *currucaria*. Linn. S. N. Gen. 65. Sp. 6.
Briſſ. av. 3. 30. fig. 1. (icon non ſatis accurata.)
Olivacea pennis coeruleis nitidis ſubtus ex vireſcente flaveſcens. Cap. b. Sp.

68 Certhia *caerulea*. Linn. S. N. Gen. 65. Sp. 8.
Briſſ. 3. tab. 31. fig. 4.

69 Certhia *chalybea*. Linn. S. N. Gen. 64. Sp. 10.
Briſſ. 3. tab. 32. fig. 1.

70 Certhia *famoſa*. Linn. S. N. Gen. 65. Sp. 20.
Briſſ. 3. tab. 34. fig. 1.

71 *Certhia longicauda.*
Roſtrum ſubulatum, ſubarcuatum, nigrum, capite longius. Corpus ſuperne ex vireſcente-fuſcum, ſubtus albidum, criſſo uropygioque luteis, certhia familiari, major. *Cauda longiſſima, magnitudinem corporis duplo ac dimidio exſuperans*, rectricibus 10, ut in Certh. familiari, ex nigro fuſcis, compoſita, binis ſe invicem tegentibus, ſen ſimque ita ab infimis creſcentibus, ut ſupremae ſint lon giſſimae. Ind. Occ.

Certhiam Philippinam Linn., colore fere aemulatur, ſed cauda quam maxime ab iſta differt.

TROCHILUS.

72 Trochilus *dominicus*. Linn. S. N. Gen. 66. Sp. 9.
Briſſ. av. 3. tab. 35. fig. 4.

73 Tro-

73 Trochilus *mellifugus*. Linn. S. N. Gen. 66. Sp. 15.
Briff. av. 3. tab. 36. fig. 3.

74 Troch. *pegafus*. Linn. S. N. Gen. 66. Sp. 16.
Briff. av. 3. 36. fig. 4.
Subtus albefcens, maculis fufcis, cauda parum intus coerulefcens.

75 Troch. pegafus. Linn. ib.
Pulchrior, pectore fubfufco, pennis virefcente-aureis intermixtis, nitente, cauda fubtus fplendidiffime coerulea. Magnitudine haec varietas antecedentem etiam aliquid fuperat.

76 *Trochilus maximus.*
Tr. rectiroftris; roftrum cultratum, capite, fesquifere longius; corpus fplendens, pileo, remigibus, rectricibusque coerulefcentibus; occipite, dorfo, pectore, uropygio atque alarum tectricibus virefcente-aureis; *gutture niveo, criffoque ferrugineo;* cauda integra, fubtus nigrefcens. Avis longitudo, ab apice roftri ad caudam extremam usque, 8 pollices fuperat, eiusque craffities duo poll. fere aequat.

Ordo III. ANSERES.

Roftrum obtufiufculum, epidermide tectum, fub bafi gibbum, apice auctum. Faux denticulata.
Lingua carnofa.
Pedes palmati.

ANAS.

77 Anas *tadorna*. Linn. S. N. Gen. 67. Sp. 4.
Briff. av. 6. tab. 33. fig. 2.

78 Anas *acuta*, *mas*. Linn. S. N. Gen. 67. Sp. 28.
Briff. av. 6. tab. 34. fig. 1.

MERGUS.

79 Mergus *merganfer*. Linn. S. N. Gen. 68. Sp. 3.
Fragmentum caput cum collo continens.

80 Mergus *Serrator*. Linn. S. N. Gen. 68. Sp. 3.
Briff. av. 6. tab. 23. (icon accuratiffima.)

COLYMBUS.

81 Colymbus *arcticus*. Linn. S. N. Gen. 75. Sp. 4.
Briff. av. 6. p. 115. nr. 4.
(Specimen diftinctiffimum.)

82 Colymbus *criſtatus*. Linn. S. N. Gen. 75. Sp. 7.
Briſſ. av. 6. tab. 5. fig. 1.
Remiges ſine faſciis albidis in ſpec. noſtro, hinc forſan femella.

83 Colymbus *auritus*. Linn. S. N. Gen. 75. Sp. 8.
Edwards Beards tab. 145.

84 Colymbus *criſtatus minor* Briſſ.
Br. av. 6. p. 46. Ord. 19. Gen. 41. Sp. 3.
Spec. noſtr. a citato, criſta non valde elevata, et collo ferrugineo *immaculato* differt.

Ordo IV. GRALLAE.

Roſtrum ſubcylindricum, obtuſiuſculum.
Lingua integra, carnoſa.
Femora ſupra genua denudata.

SCOLOPAX.

85 Scolopax *ruſticola*. Linn. S. N. Gen. 86. Sp. 6.
Friſch. Tab. 229.

86 Scolopax *Gallinago*. Linn. S. N. Gen. 86. Sp. 7.
Friſch. Tab. 226.

TRINGA.

87a Tringa *Vanellus mas*. Linn. S. N. Gen. 87. Sp. 2.
Briſſ. av. 5. Tab. 8. fig. 1.
Corpus ſuperne vireſcente-aureum, pectore, coeruleo-atro, abdomine niveo criſſoque ferrugineo.

87b Tringa Vanellus *femina*. Linn. ib.
Criſta breviore, pectoreque fuſco.

88 Tringa Vanellus *pullus*. Linn. ib.

89 Tringa Vanellus, pullus, ſed *major*.

90 Tringa *hyperborea*. Linn. S. N. Gen. 87. Sp. 9.

91 Tringa *Ocrophus*. Linn. S. N. Gen. 87. Sp. 13.
Briſſ. 5. Tab. 16. F. 1.

RALLUS.

92 Rallus *Crex*. Linn. S. N. Gen. 98. Sp. 1.
Briſſ. 5. Tab. 13. fig. 2.

93 Rallus *aquaticus*. Linn. S. N. Gen. 93. Sp. 2.
Briſſ. 5. Tab. 12. fig. 2.
Roſtrum in fig. cit. nimis tenue.

OTIS.

94 Otis tarda. Linn. S. N. Gen. 95. Sp. 1.
Buff. 4. pag. 5. fig. 78. (mala.)
Corpus cinerefcens, remigibus primariis atris, fecundariis albidis, collo albo nigroque dimidiato, iridibus croceis. Sine crifta. *Femina.*

Ordo V. GALLINAE.

Roftrum convexum: mandibula fuperiore fornicata, margine extra inferiorem dilatato.

Nares membrana cartilaginea convexa femitectae.
Rectrices plures quam duodecim.
Pedes fiffi, fed intimo articulo connexi.

PHASIANUS.

95 Phafianus colchicus *mas.* Linn. Gen. 101. Sp. 3.
Buff. 5; fig. 1. ad. pag. 200.
96 Phafianus colchicus *femina.* Linn. ib.
Buff. 5; fig. 2. ad pag. 200.

TETRAO.

97 Tetrao Tetrix *mas.* Linn. S. N. Gen. 103. Sp. 2.
Buff. 5; fig. 1. ad pag. 32.
98 Tetrao Tetrix *femina.* Linn. ibid.
Buff. 5; fig. 2. ad pag. 32.
99 Tetrao Perdix *mas.* Linn. S. N. Gen. 103. Sp. 13.
Buff. 6; fig. ad pag. 12.
Gutture rufefcente, abdomine ferrugineo, pectoreque grifeo.
100 Tetrao Perdix *femina.* Linn. ibid.
Gutture *pallidiore*, abdomine ferrugineo, albido, *interrupto.*
101 Tetrao *Coturnix.* Linn. S. N. Gen. 103. Sp. 20.
Buff. 6; fig. ad pag. 78.

Ordo VI. PASSERES.

Roftrum conicum, acuminatum.
Nares ovatae, patulae, nudae.

COLUMBA.

102 Columba *domeftica.* Linn. Gen. 104. Sp. 1. var. *β.*
Buff. 6. fig. ad p. 162.
Monftrofa; pedibus enim gaudet tribus. (J. S.)

103 Co-

103 Columba palumbus *mas*. Linn. Gen. 104. Sp. 19.
Buff. 6. fig. ad pag. 238.

104 Columba palumbus *femina*. Linn. ib.
Magnitudine duntaxat minore a mare differt.

105 Columba *riſoria*. Linn. S. N. Gen. 104. Sp. 33.
Buff. 6; fig. 2. ad pag. 271.
Corpus rufeſcens, annulo collari nigro.

ALAUDA.

106 Alauda *arvenſis*. Linn. S. N. Gen. 105. Sp. 1.
Friſch. Tab. 15. fig. 1.

107 Alauda *pratenſis*. Linn. S. N. Gen. 105. Sp. 2.
Friſch. Tab. 16.

STURNUS.

108 Sturnus *vulgaris*. Linn. S. N. Gen. 106. Sp. 1.
Buff. 8; fig. ad pag. 5.

TURDUS.

109 Turdus *viſcivorus*. Linn. S. N. Gen. 107. Sp. 1.
Buff. 8; fig. ad pag. 260.

110 Turdus *pilaris*. Linn. S. N. Gen. 107. Sp. 2.
Buff. 8; fig. ad pag. 276.

111 Turdus *iliacus*. Linn. S. N. Gen. 107. Sp. 3.
Buff. 8; fig. ad pag. 296.

112 Turdus *Merula*. Linn. S. N. Gen. 107. Sp. 22.
Buff. 9; fig. 1. ad pag. 5.
Varietas maris perrara, quae undique atra, nitens, in medio dorſi autem, capitis atque pectoris, *macula alba* eſt notata.

113 Turdus *torquatus*. Linn. S. N. Gen. 107. Sp. 23.
Buff. 9; fig. 2. ad pag. 36.

AMPELIS.

114 Ampelis Garrulus. Linn. S. N. Gen. 108. Sp. 1.
Buff. 9; fig. 1. ad pag. 214. et 221.

LOXIA.

115 Loxia *coccothrauſtes*. Linn. S. N. Gen. 109. Sp. 2.
Buff. 10; fig. 1. ad pag. 5.
Ferruginea, nigroque varia, pectore rufeſcente gulaque atra.

116 Lo-

116 Loxia Chloris. Linn. S. N. Gen. 109. Sp. 27.
Buff. 10; fig. 1. ad pag. 225.
Mas; femoribus *luteis.*

117 Loxia Chloris. Linn. S. N. ibid.
Femina; femoribus *grifeis.*

118 Loxia *Capenfis.* Linn. S. N. Gen. 109. Sp. 39.
Briff. av. 3. tab. 16. fig. 1.
Capite, collo, gula, pectore, abdomine et cauda nitente-atris, uropygio atque tectricibus alarum penultimis, luteis, remigibus fufcis, luteo marginatis.

EMBERIZA.

119 Emberiza citrinella. Linn. S. N. Gen. 110. Sp. 5.
Buff. 12; fig. ad pag. 206.
Mas, fubtus fplendide lutea maculis rufis ad pectus notata.

120 Emberiza citrinella. Linn. ibid.
Femina; fubtus *pallide* lutea, pennis *virefcentibus* variegata.

121 Emberiza *paradifea.* Linn. S. N. Gen. 110. Sp. 19.
Buff. 11; fig. 1. ad pag. 198.
Spec. non fatis bene confervatum.

TANAGRA.

122 Tanagra *brefilia.* Linn. S N. Gen. 111. Sp. 2.
Buff. 12; fig. ad pag. 83.
Superne tota coccinea, fronte, temporibus et fauce aeque ac pectore cum abdomine nitente-atris, remigibus caudaque fufcis, tectricibus fuperioribus remigum rufefcentibus, femoribus grifeis. Cap. b. Sp.
Specimen hoc Africanum magnitudine, Fringillam domefticam *fuperat.*

123 Tanagra *violacea.* Linn. S. N. Gen. 111. Sp. 5.
Buff. 12. fig. ad pag. 97.

124 Tanagra *cyanea.* Linn. S. N. Gen. 110. Sp. 6.
Buff. 11. fig. ad pag. 54.
Artubus ex-atro fufcis, pileo, temporibus gula atque uropygio coeruleis, remigum tectricibus primis fplendidiffime cyaneis, coeruleo marginatis. Corpus fubtus dilute flavefcens. Roftrum breviffimum ut in fpecie praecedente.

FRINGILLA.

125 Fringilla *coelebs*. Linn. S. N. Gen. 112. Sp. 3.
Buff. 11; fig. ad pag. 83.

125a Fringilla *amandava*. Linn. S. N. Gen. 112. Sp. 10.
Briff. av. 3. p. 206. t. 10. fig. 4.

125b Fringilla *canaria*. Linn. S. N. G. 112. Sp. 23.
Buff. 10; fig. 1. ad pag. 105.

126 Fringilla *cannabina*. Linn. S. N. Gen. 112. Sp. 28.
Buff. 11; fig. ad pag. 5.

127 Fringilla *linaria*. Linn. S. N. Gen. 112. Sp. 29.
Buff. 11; fig. 1. ad pag. 309.

MUSCICAPA.

128 Mufcicapa *atricapilla*. Linn. S. N. Gen. 113. Sp. 9.
Frifch. Tab. 24.
Mas; fafcia utrinque a roftro ad collum albida, pectore rufefcente.

129 Mufcicapa atricapilla. Linn. ibid.
Femina; absque fafciis ocularibus; fubtusque grifea.

MOTACILLA.

130 Motacilla *alba*. Linn. S. N. Gen. 114. Sp. 11.
Frifch. Tab. 23. fig. 3.

131 Motacilla *flava*. Linn. S. N. Gen. 114. Sp. 12.
Frifch. Tab. 23. fig. 4.

132 Motacilla *Oenanthe*. Linn. S. N. Gen. 114. Sp. 15.
Frifch. Tab, 22.

133 Motacilla *Rubetra*. Linn. S. N. Gen. 114. Sp. 16.
Briff. av. 3. Tab. 24. fig. 1.
Remigibus fafcia alba non interruptis ut in fig. cit.

135 Motacilla *Phoenicurus*. Linn. S. N. Gen. 114. Sp. 34.
Frifch. Tab. 19. fig. 1.
Avis pulcherrime varia.

136 Motacilla *Rubecola*. Linn. S. N. Gen. 114. Sp. 45.
Frifch. Tab. 19. fig. 2.

137 Motacilla *Trochilus*. Linn. S. N. Gen. 114. Sp. 49.
Frifch. Tab. 24. fig. 2.

PIPRA.

138 Pipra *aureola*. Linn. S. N. Gen. 115. Sp. 7.
Br. av. 4. tab. 34. fig. 3.
Abdomen fpec. noftr. anticum quoque coccineum.

139 *Pi-*

139 *Pipra tricolor.*
P. *nigra*, fronte, gula, temporibus, humerisque *cyaneis*, remigibus rectricibusque nigris margine exteriore virescentibus, occipite, dorso, *pectore abdomineque viridibus*; uropygio, crissoque concoloribus. Cap. b. Sp. Magnitudo fere Fring. Canar. — Haec avis Fring. tricolori quam maxime adfinis, sed rostro *integerrimo*, abdomineque *viridi*, ab ea differt.

PARUS.

140 141 Parus *major*, mas et femina. Linn. S. N. Gen. 146. Sp. 3.
Frisch. Tab. 13. fig. 1. 2.
142 Parus *palustris.* Linn. S. N. Gen. 146. Sp. 8.
Frisch. Tab. 13. fig. 4.

III. Ad oeconomiam ornithologicam.

A. *Nidi.*

143 Nidus *pendulus*, e ramulis arborum constructus, apertura laterali supera; magnitudine sesqui pedis.
vid. J. R. Forsteri Enchiridion histor. Nat. inserv. pag. 25.
144 Nidus pendulus subglobiformis e pappis plantarum confectus, apertura laterali quoque supera; magnitudine 8 poll. etiam Africanus. 2.
145 Nidus e muscis confectus, *forma globi excavati atque dimidiati.*
146 Nidus, forma vulgari, luto argilloso aggestus, et extus ramulis intertextis arborum munitus. Patria Nr. 143-146. comm. Cap. b. Sp.
147 Nidi vulgares, av. Europaearum, plures.

B. *Ova.*

148 Ovum Corvi Picae, pallidum, punctis virescentibus. 3.
149 Ov. Struthionis Cameli, maximum 2.
150 Ov. Anatis domesticae, virescens.
151 Ov. 2 monstrosa Phas. Galli.
152 Ov. Lari marini, pallidum, punctis fuscis variegatum.
153 Ov. Charadrii Hiaticulae. Praeced. persimile sed triplo minus.

154 Ov. Sternae Hirund. virescens maculis nigris haud angustis varium 2.
155 Ov. Stern. nigr., flavescens, atro maculatum 2.
156 Ov. Stern. minutae, pallidum punctis atris adspersum tenuibus.
157 Ov. Tetraonis Perdicis, glaucum et fere immaculatum 2.
158 Ov. Motacillae modularis, decolor. 2.
159 Ov. Fringillae coelibis, albidum, varicibus rubris.
160 Ov. Fring. montifringillae, pallide rufescens.
161 Ov. Fring. Carduelis.

CLAS.

CLASSIS III.

AMPHIBIA.

REGNI ANIMALIS

CLASSIS III.

AMPHIBIA.

Ordo I. REPTILES.

Os respirans pulmonibus,
Pedes quatuor.

TESTUDO.

1 Testudo *Caretta*. Linn. S. N. Gen. 119. Sp. 4.
Seb. thes. 1. tab. 80. fig. 9.
Varietas nostra nondum est adulta superne atra, subtusque flavescens. 4. (J. S.)
2 Testudo *orbicularis*. Linn. S. N. Gen. 119. Sp. 5.
Testa cum animali inhabitante. 2.
3 Testudinis orbicularis testae, tegmen dorsale solitarium.
4 Testudo *denticulata*. Linn. S. N. Gen. 119. Sp. 9.
Albida, pedibus rufescentibus, capite squamis ferrugineo-fuscis, obtecto. (J. S.)
5 Testudo *Graeca*. Linn. S. N. Gen. 119. Sp. 10.
Testa ipsius duntaxat sine animali. 3.
6 Testudo *geometrica*. Linn. S. N. Gen. 119. Sp. 13.
Seb. thes. 1. tab. 80. fig. 8.
Testa quoque tantum, animali defic. 2.

RANA.

7 Rana *Pipa*. Linn. S. N. Gen. 120. Sp. 1.
Seb. thes. 1. Tab. 77. fig. 1-4.
8 Rana *Bufo*. Linn. S. N. Gen. 120. Sp. 3.
9 Rana *typhonia*. Linn. S. N. Gen. 120. Sp. 9.
10 Rana *ocellata*. Linn. S. Gen. 120. Sp. 10.
Seb. thes. 1. tab. 76. fig. 1.
11 Rana *marginata*. Linn. S. N. Gen. 120. Sp. 12.
12 Rana *paradoxa*. Linn. S. N. Gen. 120. Sp. 13.
Seb. thes. 1. tab. 78.

13 DRA-

DRACO.

13 Draco *volans*. Linn. S. N. Gen. 121. Sp. 1.
Seb. thes. 1. tab. 102. fig. 2.
Corpus squamosum, squamulis parvis munitum; ala albida, coerulescente fuscoque varia. Cauda corpore sesquimajor, sqamulis armatum submuricatis. *Java.* — Genus distinctissimum, inter Ranas et Lacertas.

LACERTA.

* Cauda compressa; Corpore vestito subsquamoso.

14 Lacerta *Crocodilus*. Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 1.
Seb. thes. 1. tab. 103.
Flavescens, fusco *maculata*.

15 Lacerta Crocodilus. Linn. ib.
Virescens, fusco confertim *fasciata*.

16 Lacerta Crocodilus. Linn. ib.
Fusca, *luteo* transversim fasciata.
Not. Omnia huius speciei specim. nostra nondum adulta sesquipedem vix aequant.

17 Lacerta *Dracaena*. Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 3.
Seb. thes. 1. tab. 101. fig. 1.

18 Lacerta *Monitor*. Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 6.
Seb. thes. 1. tab. 94. fig. 1 - 3.

** Cauda verticillata.

19 Lacerta *Cordylus*. Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 9.
Seb. thes. 1. tab. 84. fig. 3. 4.

20 Lacerta *Stellio*. Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 10.
Seb. thes. 2. tab. 8. fig. 7. In duplo.

21 Lacerta *mauritanica*. Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 11.
Seb. thes. 1. tab. 108. fig. 2. 6. 7.
Not. Specimen nostrum varietatem refert singularem, cum cauda laevis nec muricata ut secundum Linn. sit. Attamen vero minime ad L. Gecko vel ad aliam speciem pertinet, cum corpus reliquum spinis frequentibus, *omnibusque aliis gaudet characteribus mauritanicae*.

22 Lacerta agilis. Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 15. var. β.
Seb. thes. 2. tab. 4. fig. 4. 5.
Virescens, *punctis ferrugineis* longitudinaliter notata. Europ.

23 Lacerta agilis. Linn. ibid.
Nebulose virescens, *fasciis brunneis* longitudinalibus, *interiectis punctis albidis*, ordinatim locatis. Adulta, cum pulla. Exot.

24 Lacerta algira. Linn. S. N. Gen. 22. Sp. 16.
Dorso dilute fusca, linea longitudinali peranguſta, variegata flavescente.

25 Lacerta *Seps*, Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 17.

26 Lacerta *angulata.* Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 19.

*** Cauda tereti imbricata, corpore breviore.

27 Lacerta *Chamaeleon.* Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 20.
Seb. thes. 1. tab. 82. fig. 1-5.

28 Lacerta *Gecko.* Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 21.
Seb. thes. 1. tab. 108. fig. 1. 3. 5.

**** Cauda tereti imbricata, corpore longiore.

29 Lacerta *Iguana.* Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 26.
Seb. thes. 1. tab. 97. fig. 3.
Adulta; dorso virescente.

30 Lacerta Iguana. Linn. ibid.
Duplo minor, dorso *fusco*, postice pallida maculata.

31 Lacerta Iguana. Linn. ibid.
Dorso *coerulescente.*

32 Lacerta *Agama.* Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 28.
Seb. thes. 1. tab. 107. fig. 1-3.
Dorso coeruleo, *fusco albidoque maculata.*

33 Lacerta Agama. Linn. ibid.
Dorso coeruleo immaculato.

34 Lacerta *marmorata.* Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 31.
Seb. thes. 2. tab. 76. fig. 4.
Dorso brunneo, *maculis paucis coerulescentibus*, varia.

35 Lacerta marmorata. Linn. ibid.
Praecedenti concolor, *fascia* autem *longitudinali* in medio dorsi *pallida.*

36 Lacerta marmorata. Linn. ibid.
Dorso *flavescente-ferrugineo.*

37 Lacerta marmorata. Linn. ibid.
Dorso *pallido, ferrugineo* atque coerulescente *maculato.*

38 La-

33 Lacerta marmorata. Linn. ibid.
Duplo minor, *abdomine* pallido *virescente maculato.*

39 Lacerta *Teguixin.* Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 34.
Seb. thes. 1. tab. 96. fig. 1.
Dorso coerulescente, ocellis, latere utroque albidis varia.

40 Lacerta Teguixin. Linn. ibid.
Dorso *nigro cyaneoque longitudinaliter fasciata*, latere utroque ocellis *frequentioribus* variegata albidis; pulcherrima.

41 Lacerta Teguixin. Linn. ibid.
Dorso atro, *annulis* punctisque *pallidis* atque angustis *transversim fasciata.* 2.

42 Lacerta aurata. Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 35.
Seb. thes. 1. tab. 89. fig. 3.
Fasciis 2. flavescentibus *ad latera dorsi* longitudinalibus.

43 Lacerta aurata. Linn. ibid.
Fasciis 3 *angustissimis* dorsi flavescentibus.

44 Lacerta *punctata.* Linn. S. N. Gen. 122. Sp. 38.
Seb. thes. 2. tab. 2. fig. 9. In duplo.

***** Palmis tetradactylis; Corpore alepidoto nudo.

45 Lacerta palustris. Linn. Gen. 122. Sp. 44.
Seb. thes. 1. tab. 89. fig. 4. 5.
Subfusca, dorso, fascia albida longitudinali et angusta.

46 Lacerta palustris. Linn. ibid.
Varietas *monstrosa.*

47 Lacerta palustris. Linn. ibid. *pullus.*

****** Pedibus exiguis †).

48 Lacerta serpens. Linn. Gen. 126. Sp. 1. Anguis quadrupes.
Berl. Beschäftig. der Naturforsch. Freunde T. 2. Tab. 2. pag. 28.

Ordo

†) Huius familiae inscriptio *nostra*, Lacertam quoque comprehendit *anguinam* Linn. atque *apodam* Pall. nam pedes alterius ratione numeri, alterius autem ratione magnitudinis omnium minimae, *a pedibus* Lacertarum, ad familias ceteras pertinentium, *discrepant.*

Ordo II. SERPENTES.

Os respirans tantum pulmonibus.
Pedes nulli, Pinnaeve natatoriae nullae.
Aures nullae.

CROTALUS.

49 Crotalus *horridus*. Linn. S. N. Gen. 123. Sp. 2.
Seb. thes. 2. tab. 95. fig. 1.
Pullus; dorso, maculis ex atro-fuscis concatenatis, notatus, longitudine vix sesqui pedali, et crassitie pollicis. Americanus.

50 Crot. *Dryinas*. Linn. S. N. Gen. 123. Sp. 3.
Seb. thes. 2. tab. 95. fig. 3.
Magnitudine circiter antecedentis.

51 Crot. *Durissus*. Linn. S. N. Gen. 123. Sp. 4.
Seb. thes. 2. tab. 95. fig. 2.
Pictura perdistinctus, sed nondum adultus; magnitudine enim 2 pedes vix superat, et crassitie sesquidigitum circiter aequat.

52 Crot. Durissus. Linn. ibid.
Minor et *colore pallidiore*, uterque Americ.

53 Crot. *mutus*. Linn. S. N. Gen. 123. Sp. 5.
Cuius longitudo duos pedes et dimidium superat

BOA.

54 Boa Constrictor. Linn. S. N. Gen. 124. Sp. 4.
Seb. 2. tab. 19. fig. 1.
Atro, ferrugineo alboque maculata.
Long. 2. ped. crass. fere sesquidigitali. Amer.

COLUBER.

55 Coluber *striatulus*. Linn. S. N. G 126. Sp. 7.
Corpus laevigatum subtus albidum, dorso maculis ferrugineis subhexagonis variegatum.

56 Col. *plicatilis*. Linn. S. N. Gen. 125. Sp. 9.
Seb. thes. 1. tab. 57. fig. 5.

57 Col. *Domicella*. Linn. S. N. Gen. 129. Sp. 10.
Seb. thes. 2. tab. 54. fig. 1.
Sec. observationes nostras, huic varietati Domicellae 168 sunt scuta abdominalia, atque 67 squamae subcaudales. Differentia permagna a computatione Linnaei.

58 Colu-

58 Coluber Berus. Linn. S. N. Gen. 125. Sp. 14.
Vitta dorſali fuſca, *abdomine albido.*

59 Col. Berus. Linn. ibid.
Varietas longior ac tenuior, *abdomine glauco.*

60a Col. *coeruleus.* Linn. S. N. Gen. 125. Sp. 18
Seb. theſ. 2. tab. 13. fig. 3.

60b Col. *melanocephalus.* Linn. S. N. Gen. 125. ſp. 24.
